
3 1761 05491853 7

Schneidewin.

IBYCI RHEGINI

CARMINUM RELIQUIAE.

QUAESTIONUM LYRICARUM

LIBR. I

SCRIPSIT

FR. GUILH. SCHNEIDEWIN, PHIL. DR.

HELMSTADIENSIS.

PRAEFIXA EST EPISTOLA

CAROLI ODOFREDI MUELLERI.

GOTTINGAE,

SUMPTIBUS G. KUEBLERI.

MDCCCXXXIII.

Helmstadii,
Impressit J. G. R. Leuckart.

CHR. G. MITSCHERLICHIO.

LUDOLPHO DISSENIO.

CAROLO HOECKIO.

PRAECEPTORIBUS GOTTINGENSIBUS.

SACRUM.

Caroli Odofredi Muelleri
epistola missa
ad
Frider. Guil. Schneidewinum.

Quod tu, iucundissime Schneidewine, Ibyci tui pagellas singulas et prelo, ut dicitur, etiam tum madentes primo mihi transmisisti: id mihi pergratum accidit. Nam expertus sum, quod nunquam sine gaudio experior, discendum nobis saepe esse ab iis, quos modo docuimus, et mutuae quodammodo institutionis hunc esse nostrum ludum. Quod ut nobis, philologiae magistris, imprimis experiundum sit, facit tum studiorum nostrorum multiplex genus, et camporum, in quos excurri potest, diversitas, tum eorum, qui his studiis vacant, mens longo iam usu a pueris inde exercitata, et, cum ad altiores scientiae gradus perventum est, ingenitum sibi igniculum celeriter saepe ostendens. Nunc, ut beneficii apud me collocati gratias tibi referam

eas, quae cum ipso tuo beneficio coniunctissimae sint, primus ego tuus lector eos, qui me sequentur, in legendo tuo libro ita iuvare studebo, ut, quo primum animum advertere conducat, statim in limine intelligant.

Quid autem est, quod, cum fragmenta ruinae, qua literarum Graecarum magna pars, et omnium maxime lyrica poesis, afflicta est, colligimus, ut effici possit, unice cupimus et optamus? Nonne ardenti commovemur desiderio, clarissima ingenia, quorum integra scripta nobis invidit aetas, mente et animo ita complectendi, ut illi in ordinem quodammodo redigantur eorum scriptorum, quibuscum tanquam superstitibus hodieque aetatem agere licet, utque, qui nunc nihil nisi nomen et umbram habent, et Homericorum instar idolorum inter manus prehendentium in auras dilabuntur, postquam vivo sanae doctrinae sanguine eos aluimus, corpus et animam denuo accepisse videantur? Quodsi ex fragminibus illis sedulo collectis et inter se comparatis ac cum similibus antiquitatis operibus collatis, parique argumentorum et verborum cura illustratis, ea poëmata quo filo deducta fuerint, et poëtarum quae fuerit indoles, qui pectoris sensus, quae summa artis praecepta, intellectum erit: non hos solos scriptores melius cognoverimus, sed etiam ab eo scopo, quem tanquam bonorum finem in

studiis nostris spectamus, ut Graecae nationis humanitas quibus progressibus creverit et qua lege exculta sit variasque induerit formas, intelligatur, denique ut, in alienos animos tanquam in speculum intuentes, nostri ipsorum animi naturam et fines penitius introspiciamus, propius iam aberimus. Hoc autem qui studiis illis non aliquatenus effecerit, is me iudice nihil effecerit.

Tu, mi Schneidewine, in Ibyco tuo id certe iam assecutus es, ut quem locum hic inter Graecos poetas teneat, et quibus virtutibus eius poesis emicuerit, multo melius intelligi possit, quam adhuc intellectum fuerat. Ac primum quidem omnes, puto, laudabunt, quod Ibycum cum Stesichoro ita coniunxisti, ut hos unam lyricae poeseos sectam in Magna Graecia florentem secutos esse appareat, sicut Simonides et Bacchylides eiusdem Ceae disciplinae alumni sunt. Etiam hoc tibi assentio, hanc illorum poëtarum cognationem primariam fuisse caussam, ut exquisitiora quaedam verba et rariorum fabularum mentio a grammaticis testibus modo Stesichoro, modo Ibyco adscriberentur: quippe quae apud utrumque inventa essent. Quanquam propter hanc ipsam eorum similitudinem etiam dubitatum esse videtur de carminibus nonnullis, Ibycine essent an Stesichori, quo fieri poterat, ut argumenta et verba, quae semel tantum in

poematis utriusque lecta essent, modo ab hoc modo ab illo repeterentur.

Stesichorus cum choricae poëseos inter auctores fuerit nobilissimos: etiam Ibycum, dubitari nequit, et heroica sua carmina et amatoria non, Aeolensium poëtarum more, solum ad lyram cecinisse, sed chorum docuisse, qui ea, aut publicis locis, aut in conviviis privatorum hominum, canendo et saltando exsequeretur. Quo factum, ut etiam in versuum et stropharum conformatione, in dialecti rationibus, in delectu et tractatu argumentorum magno discrimine distet Ibycus a poetis Aeolensibus, et plane eorum sit lyricorum, quos Dorienses nuncupare assuevimus. Et quod ad versuum pangendorum artificium attinet, cum Stesichorus, antiquis melopoeis, qui hexametris dactylicis musicos modos adhibebant (hoc est: *οἳ ποιοῦντες ἔπη τούτοις μέλη περιετίθεσαν*), simillimus, imprimis hexametros minuendo et interdum etiam producendo, singulisque longorum versuum ordinibus solvendis et alia ratione componendis, nova metra condidisset: etiam in Ibyco dactylicorum id genus versuum, quod grammaticorum testimonio et fragmentorum indiciis constat, largus fluebat fons. Sed videtur Ibycus licentius ea metra usurpasse quam Stesichorus, ita ut omnem versus mensuram transsiliendo in longiora systemata dactylos istos

produceret. Idque, modo dactylos eos non graves sed leves esse admiseris, etiam furori pectoris amore percussi exprimendo accommodatissimum erat. Luculentum habemus exemplum fragmentum illud, quod primo loco posuisti, in quo cum omnes singuli versus logaoedico ordine, metro remissiore, incohentur, deinde, quasi ingravescente impetu et incitata mente, duobus locis in longiora systemata dactylica excurritur: post quae clausulae loco infertur tripodia trochaica, quod metri genus etiam a tragicis poetis ad terminandas dactylicas similesve strophas saepissime adhibetur. Qua clausula recte mihi videris stropham terminasse; nam quod inde statim sine spiramento in antistropham transitur, sermone nulla pausa interrupto, etiam hoc ad intemperiem animi aestuantis declarandam egregie facere videtur.

In iis, quae modo dicebam, iam incidi in mentionem h e r o i c i argumenti carminum, qualia tu Ibyco vindicanda, atque ab amatoriis lusibus discernenda esse, mihi quidem plane persuasisti. Quanquam, ut puto, tu ipse ultro fateberis, non omnia, quae supersunt, fragmenta certis indiciis in has classes redigi posse, sed potuisse etiam amatoriis carminibus quaedam heroicarum fabularum argumenta ab Ibyco immisceri, velut illud de Menelao Helenae adspectu in mollitiem fracto (fragm.

XVI.), quod cum altero loco de *φαινομηρίσιν* Lacaenis (fragm. XLIX.) a poëta nostro Messenio in Spartanos tanquam *γυναικοκρατουμένους* dici poterat, et alia quaedam. Verum tamen, nisi concesserimus, nostrum poëtam saepe etiam totum fuisse in heroum rebus gestis enarrandis: Ibyceae et Stesichoreae poëseos necessitudo illa, quam diximus, qualis fuerit, omnino intelligi non posset. Nam inter amatoria carmina a Stesichoro facta, quae omnia in fabulis quibusdam popularibus de mulieribus amantibus amatisve enarrandis versabantur (quarum fabularum quae fuerit ratio et natura egregie docuit Welckerus in censura Stesichori Kleiniani), et Ibyci *ἐρωτικὴν Μοῦσαν*, quae maximam partem *παιδικὴ* erat et Stesichorea longe calidior, vix ulla affinitas potest agnosci. Itaque etiam hoc argumento nobis persuadebimus, plura Ibyci carmina ex heroico illo genere fuisse, in quo Stesichori poësis omnium maxime versabatur.

Heroicis autem argumentis ab hac poëtarum secta celebrandis quod tempus et quae occasio data fuerit, etiam hoc recte mihi videris explicuisse. Nempe inferiae heroum, in Magna Graecia etiam sanctius observatae, quam in Graecia antiqua, annua religione, et praecipue verno tempore, magno agebantur splendore et apparatu. Ad hunc splendorem augendum nihil accommodatius erat,

quam cantica chororum honori heroum destinata. Eodem tempore cum Bacchus, scilicet Chthonius ille deus, qui vere renascente ex inferis evadit, dithyrambis celebraretur, atque omnino Chthoniorum deorum religio cum heroicis sacris olim coniunctissima esset: intelligitur fortasse, qui fieri potuerit, ut antiquorum melopoeorum *ἡρωϊκὰς ὑποθέσεις* quidam dithyrambis annumerarent, de qua re tu dixisti p. 57., atque etiam Simonidis dithyrambo cuidam nomen esset Memnoni, de qua re Dissenius noster ad Pindari fragm. p. 624. disputavit. Hinc etiam lumen aliquod adhiberi poterit tragicis Sicyoniorum carminibus ad Adrastum a Baccho translatis, et ipsi Atheniensium tragoediae iam multis ante Aeschylum annis ad heroicas personas deflectenti. Denique etiam Phrygiam harmoniam dithyrambis potissimum dicatam, sed a Stesichoro ad Oresteam suam adhibitam, ab hac quaestione non esse alienam statuemus.

Haec de caussis heroicorum argumentorum publicis choris (*Χαρίτων δαμώματα* dicit Stesichorus) horum poetarum arte celebratorum. Ad haec si quaeratur, quonam modo ea argumenta Ibycus tractaverit, propter penuriam rerum ad iudicium ferendum necessariarum obmutescemus, nisi quod ad Stesichori exemplar ea carmina ab Ibyco facta esse, respondere nobis in proclivi est. Atque ad

epicum Stesichori carminum colorem etiam Ibycum prope accessisse, unum est quod suadeat: quod in tam paucis istis horum poëmatum particulis duae supersunt, quae sermonum inter heroas directa oratione propositorum indicia continent. Alterum eorum indiciorum est casus ille vocandi, quem iure mihi restituisse videris: Ὀνομακλυτὸς Ὄρφη (fragm. XXII.); alterum Herculis de rebus a se gestis dicta: *Τέκνα Μολιόνας κτάνον* et cett. (fragm. XXVII.). Tales autem sermones etiam apud Pindarum nonnisi ubi longiores narrationes e fabulis repetuntur, locum habent; Aeolenses lyrici ubi fabulas carminibus suis admiscuere, vix tamen id genus orationis usurpasse videntur.

Ad alterum genus poeseos Ibyceae, amatoria carmina, cum accedo, hinc incipiam, in quo maxima est utriusque generis affinitas, ab argumentis ex fabulis Graecorum petitis et in usum eroticae Musae conversis. Nam deorum heroumque exemplis non solum a Pindaro victorum robur et felicitatem, sed etiam ab Ibyco amantium affectus vicemque illustrata esse, tum alia ostendunt, tum quae de carmine illo in Gorgiam nobis innotuerunt. Quo de carmine cum iam illo tempore, quo sermones de his rebus tecum conferebam, sententiam meam a tua nonnihil discedentem tibi aperuissem: tu consulto videris meam mihi Spartam

exornandam reliquisse. Idque hoc loco eo libentius faciam, quo tenacius ea persuasio animo meo inhaesit. Apollonii est locus (III, 158.), quo describitur Amor ex aula Jovis excitatus atque extra Olympi portas progressus, ubi in terram descenditur duoque montes sublimia erigunt cacumina, orienti soli proxima: quo loco Amor paululum subsistens terram cum urbibus hominum et flumina montesque atque altum mare circumspicit. His versibus, monet Scholiastes, Apollonium expressisse (*παραγεγραφέναι*) ea, quae Ibycus *ἐν τῇ εἰς Γοργίαν ᾠδῇ* de raptu Ganymedis dixisset, Ibycum autem his addidisse fabulam de Tithono ab Aurora rapto. Ex quibus primum intelligitur, etiam in carmine Ibyci sive Amorem sive alium deum (sed de Amore locutum esse Ibycum, probabilius duco), e portis Olympi egressum esse, ut quae in terris agerentur prospiceret; et intelligitur deinde, fabulas de Ganymede a Jove, Tithonoque ab Aurora raptis eo uno carmine comprehensas fuisse. Iam quo consilio, quaerebam, Ibycus hos pulcros iuvenes coniunxisse videretur. Tu ad hunc finem memoriam eorum coniunctam esse statuebas, ut summa Amoris potentia declararetur, quippe cui ne dii quidem obluctari possent. Contra ego, cur haec potissimum exempla deorum amori servientium delecta essent, mirabar, in tam immenso numero fa-

bularum eiusdem generis, in quibus facile esset multas reperire, quibus dii etiam impotentius amare et acerbius uri narrarentur. Atqui hi duo pueri Troiani saepius ab antiquis poetis inter se componuntur, sed propter varias caussas. Nam Homerici in Venerem hymni v. 202 sqq. his duobus exemplis ab ipsa Venere apud Anchisem demonstratur, Troianae prosapiae amore et consuetudine frui, antiquum esse diis Olympiis. Apud Euripidem autem, Troadum v. 826 sqq., chorus Troianus conqueritur, quod Ganymedis et Tithoni amor gaudiorumque memoria neque Iovem neque Auroram ad Troiam ab excidio defendendam permoverit; *τὰ θεῶν δὲ φίλτρα φροῦδα Τροίᾳ.* Apud Nonnum denique, XV, 278., Hymnus pastor Nicaeam obsecrat, ne pastoris amorem aspernetur, ab ipsis numinibus non contemtum. Adscribo versus sicut recte eos constituit Fridericus Graefe:

Τιθωνὸς ῥοδόεις πέλε βουκόλος, ὃν διὰ μορφὴν
δίφρον ἑὸν στήσασα φαεσφόρος ἥρπασεν Ἠώς.
Καὶ Διὸς οἰνοχόος πέλε βουκόλος, ὃν διὰ κάλλος
φειδομέναις ὀνύχεσσιν ἐκούφισεν ὑψιπετὴς Ζεύς.

Verumtamen, cum Ibycus neque Troiae felicitatem extollere, neque casum eius urbis lugere, neque pastoribus in amore patrocinari sibi proposuisset, alia ratione opus fuit, ex qua hos deorum amores, Ganymedem et Tithonum dico, componeret. Et

quae, obsecro, ingenio Ibyci aptior inveniri poterit, quam amoris muliebris et masculi contentio, illiusque reprehensio et huius laudes? Cui consilio haec fabula se tantopere accommodat, ut paene mirandum haberem, si poeta in eroticis suis studiis ea fabula non ita usus esset. Habemus duos pueros, aequales, eadem stirpe prognatos, eadem pulcritudinis gloria illustres; quorum alter a deo amatur et in caelum sublatus sempiterna cum diis fruitur iuventute et felicitate; alter deae amore subreptus post brevia gaudia tristissima senectute opprimitur. Quo, quaeso, exemplo luculentius demonstrari poterat, bellos pueros *χαρίζεσθαι* debere viris, non muliebris amoris impotentiae? Quod aequales dixi eos pueros, id feci quidem contra ea genealogica stemmata, quae volgo in antiquitate circumferebantur; haec enim cum Ganymedem Trois filium, Tithonum Laomedontis vel filium vel nepotem exhibeant, illum una duabusve aetatibus hoc antiquiorem faciunt. Sed feci id ex auctoritate Ibyci ipsius, quem propter verba Scholiastae dubitari nequit Ganymedis Tithonique raptum eidem tempori assignasse. Atque consentientes sibi Ibycus habet antiquos scriptores eos, qui etiam Ganymedem Laomedontis filium fuisse tradiderant; quorum sententiae ipsum Pindarum favere Boeckhius docuit, Explic. Pindar.

Ol. I, 43. Nunc vide, quomodo omnia apud Ibycum acta sint. Amor Iovem cupidine Ganymedis pueri impleverat; isque aquilae speciem induens noctu, ut videtur, in campum Troianum descenderat, atque inde a gregibus, quos pascebant, ex duobus bellis pueris alterum rapuerat, alterum reliquerat. Amor victoria sua ut frueretur, ex Olympi portis egressus, atque in agrum Troianum despiciens videt Tithonum solum relictum, videt eodem tempore Auroram inter vertices illos caelum attollentes citato curru exsurgentem. Quid multa? deae pectus Amoris persentiscit telum, quo saucia illa et attonita curru inhibito (*δίφρον στήσασα*) et relicto in Idaeum agrum avolat et Tithonum secum aufert. Iam uterque pari felicitate frui videntur: sed Tithoni fragilis est et fallax voluptas, aeterna et ultra humanitatis sortem evecta fortuna Ganymedis.

Hoc exemplo quodammodo intelligi potest, qui fuerit splendor et quanta descriptionum ubertas in his carminibus amatoriis, quibus rebus multum illa differebant ab eroticis Aeolensium lyricorum poematis, tenuiore filo deductis. Ac vero etiam in affectibus significandis et describendis Ibycus, ingenii fervore incitatus et stropharum maiore ambitu adiutus, quantum Aeolicae lyrae fines excesserit: eo praecipue fragmento, quod primo loco

posuisti, docemur. In quo Ibycus hoc mihi dicere videbatur: dum vere redeunte caelo mitissimo omnia laetissime efflorescant, sibi nihil quietis concedi ab Amore, sed aquilonis instar furenti rabie eum a puerorum inde regione (παιδόθεν fictum putabam ab analogiam v. βορέηθεν et similium) occursantem pectus suum concutere. Quocirca ante ὥστε quam posuisti τελείαν στιγμὴν, eius loco μέσην ponendam, et omnia uno tenore deducenda censeo, ut impetus pectoris exaequetur aliquatenus ambitu orationis etiam ultra strophae terminos progrediente.

In universum si persuasum habeo magno intervallo Ibycum ab Aeolensibus poetis distineri: in nonnullis tamen non negaverim horum exemplum sectatum esse Rheginum poëtam. Quem in censum referendum est illud: Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις, primo versu fragm. II.: quod ex voce αὖτε intelligitur initium fuisse carminis. Et simile erat prooemium multorum carminum lyricorum, ut Sapphici illius: Ἔρος δ' αὖτε μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, et Anacreontei: Σφαίρῃ δηὖτέ με πορφυρέῃ βάλλων χρυσοκόμης Ἔρως, et id genus multa, in quibus δηὖτε, contractum illud ex δὴ αὖτε, saepe in δεῦτε corruptum, sed nuper recte vindicatum est (v. J. A. Hartung de particulis I. p. 323.): ad quod firmandum etiam noster locus

in subsidium vocari poterat. Itaque etiam Ibycum, intelligitur, sicut Anacreontem et Aeolenses lyricos, bella a Venere *rursus mota* multis carminibus cecinisse. Fortasse etiam maior erat necessitudo Ibyco cum Anacreonte quam cum caeteris illis, et poterat sane alter poeta ab altero in arte proficere, cum uterque in Samo insula apud Polycratem tyrannum partem vitae transigerent.

Advertit haec Sami mentio animum meum ad fragmentum illud, quod neque cum heroico neque cum amatorio argumento coniunctum fuisse credibile: *οὐδὲ Κυάρης ὁ Μήδων στρατηγός* (fragm. XXXVII.). Id enim pertinere ad Samum insulam a Medis sive Persis non ante Cambysis tempora devictam et occupatam, ut tibi credam facile adducor. Sed cum inter opiniones antiquitus traditas hanc tuo assensu comprobaveris, qua Cyaxarem Medorum regem ab Ibyco Cyarem dictum esse ponitur, quanquam hic Cyaxares, florente etiam tum Lydorum regno, Ionibus nullum poterat incutere terrorem: equidem alterius sententiae patrocinium suscipio, secundum quam Cyaris nomen Cyrum Persarum regem significat. Neque vero Cyares ex Cyro *κατὰ πλεονασμὸν* factum est, ut traditur, sed accuratius expresso Persico nomine, quod Graecis *δυςγράμματον* erat, ut barbara nomina pleraque, et propterea varias formas indue-

bat. Nam in Zendico titulo, interprete Grotefendo (apud Heerenium, Idear. I, II. p. 372. ed. 1824.), nomen magni regis est *Kusruesch;* atque Hebraeo ore idem nomen efferri *Cōresch,* omnibus notissimum est. Quidni credamus, hunc Cyrum ab aequalibus Graecis in Samo insula *Κυάρην* dictum esse, antequam nominis *Κῦρος* usus apud omnes Graecos invalesceret? Non aliter Darius, quem Persica lingua *Dariauesch* dictum esse tradunt, non semper *Δαρεῖος,* sed Aeschylo teste etiam *Δαρειὰν* dicebatur. Samum autem ne a Cyro quidem devictam esse, si dixit Ibycus, rectissime dixit. Constat enim, dum Cyrus regnaret, Samum a dominatu barbarorum liberam et maris imperio validam fuisse; et narrabatur etiam de bello a Samiis contra Cyrum gesto, cuius historia erat in libris Pythagorae Samio falso tributis. (V. Panofka Samior. rer. p. 34.)

In his quae proposui, summa tantum capita disputationum tuarum attigi. Quippe de multis multa dicere, lex vetat scriptionis huius. Atque tanta est in tuis commentariis, qui in Ibyco non semper subsistunt, sed etiam ad Stesichorum, Alcaeum, alios lyricos explicandos et emendandos saepe exspatiantur, rerum ubertas et varietas, ut multa quae in legendo me commoverunt, hic silentio praetermittenda sint. In quo commentandi

b*

genere si quibusdam videberis τῷ θυλάκῳ σπεῖραι: communem habebis iuventutis, sic fere in literis exultantis, excusationem. Sero discimus, devitata omni ambagum et diverticulorum amoenitate, brevissimo itinere eo, quo perveniendum est, tendere. Ac vero si tibi obiicietur, te etiam ex grammaticorum tricis corruptisque narratiunculis, ut sani aliquid et fructuosi extunderes, nimio interdum labore contendisse: mihi quidem minus placent ii, qui obtusa ingenii acie de vero extricando cito desperant, quam qui in scrutando omnem movent lapidem, et interdum etiam, ut Varro scribit, *scientiam ad opinionem aucupantur.* Qua in re agnovi animum tuum ingenti scientiae amore perculsum, qualem etiam inter sodales tuos in iucundissimis illis coetibus, quos philologiae studium in nostra urbe congregaverat, magno cum gaudio saepe cognoveram, nunquam illum ad difficultates vincendas ignavum, sed ad antiquitatem altius perspiciendam instinctum semper atque ruentem.

Vale, vir doctissime, meque amare perge. Dabam Gottingae Calend. April. a. MDCCCXXXIII.

Praefatio.

Cognito lyricorum poetarum principe, ad quem Tu, *DISSENI* dilectissime, *munieras aditum, quum lyricae Graecorum artis initia atque progressus explorandi agitarer desiderio, nihil habebam antiquius, quam ut quaecunque veteres scriptores legenti occurrerent diligenter annotarem. Brevi tamen prae reliquis me advertit Ibycus Rheginus, quem et Schilleriano carmine puerulus diligere coepissem et ab eruditis hominibus hodie posthabitum intelligerem mirifice. Inito igitur hujus diligentius perscrutandi consilio, sensi continuo, quam prava de hujus indole poetae doctorum virorum celebrarentur judicia. Quod ubi commentatiunculis aliquot, de quibus praeside* Te, *DISSENI, atque MUELLERO* Tuo *disputaremus Seminarii regii philologici sodales, persecutus sum neque ejusdem curam poetae in societatis philologicae exercitationibus, saluberrimae congregationis, abjeci,* Vos *ut quae privatos in usus collegissem curiosius pertractata ad edendum compararem, cohortati estis benignissime. Ex quo tempore* Vestrae *obsecutus voluntati inter alia studia unice vacabam precatori gruum:*

cui quantum profuerint familiaria colloquia Vestra, *quibus mirifice semper me ad haec nostra studia incitatum sentiebam, ipse docebit Ibycus. MUELLERUS autem* Vester, Viri Amplissimi, *quum aureola epistola ad me data πρόςωπον τηλαυγὲς praefigere huic libello voluit, quo obscurum adolescentem in doctorum virorum notitiam introduceret, tanta me sibi denuo devinxit suavitate, cujus gratias referre non opis esse meae videam: habebo certe, dum spiritus hos reget artus.* —

Jam quid consilii secutus sim in conscribendo hoc libello quum manifestaverit epistola MUELLERI, finem imponere potuissem huic praefationi, si Vobis *antea MITSCHERLICHI, DISSENI, HOECKI,* optimi et integerrimi viri, *ob tot beneficia et amoris vere paterni documenta, quae per tres illos annos beatos, quos in almae Academiae* Vestrae *sinu transigere licuit — et utinam licuisset plures! — mihi exhibuistis luculentissima, debitas grates persolvissem, nisi quaedam ad librum ipsum addenda supervenissent inexspectanti. Namque dum hoc libello paene typis exscripto chartarum defectu cessat typotheta, et cessavit quattuor et quod excurrit menses, F. G. Welckerus* Vester, *quem scitis quam admirer, pro insigni humanitate sua, expertus enim loquor, praeter alia ad me transmisit Bonna gratissimum donum commentationem a se conscriptam olim, typis nuper excusam in Musei Rhenani fasciculo tertio superioris anni,*

p. 401 — 10, *quae est* de gruibus Ibyci. *Cujus disputationis summam cum viris doctis communicare officii nostri rati sumus. Quae eo redit, ut* fabulam antiquiorem atque populari fama nobilitatam in Ibycum translatam judicet. *Et theatrum quidem ideo memorari, quoniam citharoedus fuerit Ibycus: opulentam Corinthum allexisse vates, quam Arion etiam petiverit: de patria poetae, licet sepulchro ipsius insigni, non posse cogitari: nam in itinere incidisse in latrones. Grues autem quod Ibyco potissimum affinxerint, licet de intercepto poeta nihil fuisset memoriae proditum, caussam in eo positam, quod vates longinquas peregrinationes susceperit, qui homines divitias comportare soliti inprimis latronum gladiis petiti sint, velut Arion, Stesichorus citharoedus, Aeschylus auletes. Cogitasse autem veteres poetam Rheginum lucri cupidum, patris appellationem Cerdantis commonstrare, quacum conjungendum esse illud proverbium, de quo dictum nobis est in Prolegg. p.* 15. *Sed fieri tamen ait posse, licet non sit verisimile, ut exstiterit narratio de confosso a latronibus Ibyco, quocum fabula popularis eo facilius conglutinari potuerit, quod carissimi capitis ultionem flagitabat quicquid ubique erat hominum venustiorum. Neque tamen huc referendam esse Hephaestionis illam memoriam de servo poetae combusto Heracle, mendacis homunculi figmentum. Hactenus Welckerus: nam quae idem de aliis narratiunculis aliorum populorum, quibus consignata sententia cernitur consimilis,*

ac quae Ibyciae fabulae subest, deque Schilleriani carminis virtutibus disputavit insigniter, ea non potuimus excerpere omnia. Ut tamen fateamur, quod sentimus, non persuasit Welckerus rationes suas, quas quoniam nostram sententiam caussis allatis defendimus in commentariis nostris, inpugnare non sustinemus. Illud addo: licet ejusmodi fabellae viguerint inter veteres variae, tamen ratio non videtur reddi posse idonea, cur Ibyco potissimum id fatum ascripserint temere: quare in ea persisto sententia, ut certe aliquid veri subesse narrationi illi confidam. Praeterea quid de Aristea *illo frgm. XXXVIII, in cujus nos sedem* Aristophanem *reducebamus, judicaverit Fr. Jacobsius in Aelian. Hist. Animm. VI,* 51., *comperi ex literis E. L. de Leutschii, amici conjunctissimi. In ordinem enim recepit scripturam Ἀριστίας, quem aliquot codd. scribunt Ἀριστείας, intelligens Phliasium, Pratinae filium, de quo adiri jubet Meinekium in Commentatt. miscell. I, p. 22. Nobis id fieri non videri posse declaravimus l. c.*

Valete, Viri dilectissimi, *eandemque benevolentiam illibatam absenti, cui nunc Ceus Simonides curae est ingratiis otioso, servate, qua amplexi praesentem estis. Scribebam post profanata sacra Academiae Juliae Caroleae a. d. VI. cal. Maj. MDCCCXXXIII.*

I.

Prolegomena

de

vita et carminibus Ibyci Rhegini.

Ut a primis profecti initiis deinceps ad graviora progrediamur, nomen Ibyci vatis ab avi quadam ibyce ductum memoriae produnt Grammaticorum, veluti Etym. Gud. p. 268. 47. *ἰστέον, ὅτι παρὰ τὸ ἴβυξ ἴβυκος, ὅπερ ἐστὶν εἶδος ὀρνέου κρακτικοῦ,*[1]) *γέγονε τὸ ἴβυκος, ἔνθεν ἐγένετο τὸ ἰβυκινίσαι, ὅπερ κατὰ φθορὰν λέγεται βουκινίσαι.* Cfr. Etym. M. p. 464., Hesych., Suid. s. v. Eamque nominis originationem non obscure tangit Athen. XIII. p. 601. B. *καὶ ὁ Ῥηγῖνος δὲ Ἴβυκος βοᾷ καὶ κέκραγεν,* respiciens ille et radicem nominis et furibundam affectionem carminis amatorii, quod nobis primo loco collocatum est. Quid, quod in Etym. M. p. 273, 24. (fragm. LIV.) poeta ipse vocatur *Ἴβυξ,* ut vulgo dicitur *Κόραξ, Ἱέραξ*? Non caute enim Sylburg. praef. Et. M. p. VII. Lips. hoc rettulit inter ea, quae in ipso Etymologici concinnatore censuram mereantur. Ita

1) Induxi *ὅθεν* ante *γέγονε*: *ἴβυκος* prius est genitivus voc. *ἴβυξ*. In Etym. M. corr. *καταφθορὰν* pro *μεταφοράν*.

Ἴνυκος oppidulum Siculum, Plat. Hipp. maj. p. 282. E., ab aliis vocatur *Ἴνυξ*, v. Valcken. in Herod. VI, 23., ita *Ἔρυκος* et *Ἔρυξ* aliaque ap. Welcker. ad Schwenk. p. 336. Avis autem nomen ad hominem accommodatum est ex pervulgata consuetudine Graecorum, de quo argumento sufficit provocasse ad Sturz. de nomm. Graec. VI, p. 18. Ceterum plerique nomen viri recte scribunt *Ἴβυκος*; in Arist. Thesm. 161. et in Burdini Scholl. ad eum locum, quae ex Suida conflata sunt, Dindorfius *Ἰβυκός* edidit. Laudarem, si adjectivi potestatem sustineret; nunc quum secus sit, scriptum oportet *Ἴβυκος*, ut *δολιχός*, sed *Δόλιχος*, v. Reitz. de accent. inclin. p. 116. Itaque diserte praecipit Arcad. de accent. p. 52. 8. Bark. *τὰ εἰς υκος ὑπερδισύλλαβα κύρια ἢ προσηγορικὰ μὴ ἔχοντα κατ' ἰδίαν θηλυκὰ κτητικῆς ἐννοίας ἐχόμενα βαρύνεται, ἴβυκος, ἄμμυκος, κάρυκος, ἴνυκος.*

Phytium patrem Ibyci, secundum alios Polyzelum Messenium historicum, Cerdantem ex fide aliorum Suidas [2]) vocavit: apud auctorem denique

2) Suidae articulum perspicuitatis gratia adscripsimus integrum. *Ἴβυκος Φυτίου· οἱ δὲ Πολυζήλου τοῦ Μεσσηνίου, τοῦ ἱστοριογράφου· οἱ δὲ Κέρδαντος· γένει Ῥηγῖνος· ἐνθένδε εἰς Σάμον ἦλθεν, ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης, ὁ τοῦ τυράννου πατήρ. Χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, Ὀλυμπιὰς νδ'. Γέγονε δὲ ἐρωτομανέστατος περὶ τὰ μειράκια καὶ πρῶτος εὗρε τὴν καλουμένην σαμβύκην. εἶδος δὲ κιθάρας τριγώνου. ἔστι δὲ αὐτοῦ τὰ βιβλία ζ', τῇ Δωρίδι διαλέκτῳ. συλλη-*

epigrammatis in novem Lyricos, quod a Zach. Calliergo primum vulgatum legitur ap. Ursin. in frgmm. poett. lyr. p. 62., Boeckh. Scholl. Pind. Tom. II, 1, p. 8., Welcker. Syll. Epigramm. p. 278. quidam Eelidas literis consignatus est, v. 9. 10.

Ἴβυκος Ἰταλὸς αὖ ἐκ Ῥηγίου ἠὲ Μεσήνης,
Ἠλίδα πατρὸς, Δωρίδα δ' ἡρμόσατο.

Eadem appellationis discrepantia cernitur in parentibus aliorum poetarum veterum, eorumque maxime lyricorum, ut in Sapphonis, Stesichori, diversissimis ex caussis originem habens. Et Polyzelus quidem Messenius uno hoc Suidae testimonio consecutus est, ut in historicorum ordinem insereretur a Vossio de hist. Gr. p. 196., Clintone fastt. Hell. p. 381, 4. Krueg., aliis. Qui si fuit historicus idemque pater Ibyci, in eam necesse est inciderit aetatem, qua in Asia minore et in insulis maris Ionii historiae conscribendae rudimenta posuerunt Cadmus Milesius, Eugeon Samius, Deiochus Proconesius, nam de Theagene Rhegino incerta fama est, Logographi. Sed hoc novum plane et inauditum, in Graeca Messenia, quae Dorica

---

φθεὶς δὲ ὑπὸ λῃστῶν ἐπὶ ἐρημίας, κἂν τὰς γεράνους, ἃς ἔτυχεν ὑπερίπτασθαι, ἐκδίκους γενέσθαι (scr. *γενήσεσθαι*)· *καὶ αὐτὸς μὲν ἀνῃρέθη. μετὰ δὲ ταῦτα τῶν λῃστῶν εἷς ἐν τῇ πόλει γεράνους θεασάμενος ἔφη· ἰδὲ, αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι. ἀκούσαντος δέ τινος παὶ ἐπεξελθόντος τῷ εἰρημένῳ, τὸ γεγονὸς ὡμολογήθη. καὶ δίκας ἔδωκαν οἱ λῃσταί. Ὡς ἐκ τούτου τὴν παροιμίαν γενέσθαι· Αἱ Ἰβύκου γέρανοι.*

civitas fuit, Spartanorum imperio subdita, circa Olymp. quinquagesimam fere exstitisse, qui historiam condere periclitaretur. Neque vero habet, quo commendetur opinio Creuzeri, qui in libro de arte hist. Gr. p. 68. in eam abeat sententiam, ut ad cyclicos poetas rejiciendum suspicetur. Id quod in tanto veterum magistrorum silentio audacius videtur. Nam licet teneam, poetas epicos eos, qui Hesiodiam secuti scholam in ipsa Graecia vixerunt, quoniam logographis viam munissent, interdum poetas dici historicos, in quibus est Eumelus Corinthius, v. Schol. Pind. Ol. XIII, 74., Tzetz. Lycophr. Cass. 174., tamen *ἱστορικοὶ* quin vocati sint simpliciter, non addita poetarum appellatione, magnopere dubito. Quod autem idem Creuzerus l. c. ponit, logographum Polyzelum esse potuisse, non minus rationibus destitutum videtur idoneis, quum Dionys. Hal. de Thuc. jud. VI. p. 817. Reisk. vix omisisset vel verbo commemorare hominem singularem, complexus eos historicos vetustiores, qui alterum ordinem Thucydidem praegressorum antecesserunt. Ut verum igitur fateamur, omnia ita incerta sunt et lubrica, ut aliam rationem eamque probabiliorem circumspiciendam censeamus.

Namque teste Strab. VI. p. 258. Cas. se adjunxerunt Chalcidensibus Apollinis Delphici auctoritate Rhegium coloniam petituris *καὶ οἱ Μεσσηνίων φυγάδες τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, καταστασιασθέντες ὑπὸ τῶν μὴ βουλομένων δοῦναι δίκας ὑπὲρ*

τῆς φθορᾶς τῶν παρθένων τῆς ἐν Λίμναις γενομένης τοῖς Λακεδαιμονίοις, cll. Heracl. Pont. 25. Paus. IV, 4, 2. Facile igitur ita labi poterant homines, ut qui in majoribus poetae censeretur, temeritas Grammaticorum eundem parentis honore augeret Perfrequenter erratum est similiter. Velut Pittacum Suidas Caici et Hyrrhacis Thracum filium fecit: alterum in majores relegandum videri Welckerus commonuit, Jahn. Annall. philol. 1830, I, p. 15. Jure autem quod Messenius dicitur fuisse Polyzelus, ad Messeniam Peloponnesi spectare statui, quum Messana Siciliae Anaxilae demum tempore, qui post Ol. LXX summa rerum potitus est, id nominis asciverit, quae antea Zancla vocaretur, Thuc. VI, 5. *Ἀναξίλας Μεσσήνην ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ ἀρχαῖον πατρίδος ἀντωνόμασε.* Noli enim cogitare de anticipatione illa historica, de qua Bentlejus disseruit, Opuscc. p. 17., quam poetis cedimus nec a scriptoribus pedestribus plane arcemus, ubi certae suasisse caussae videntur: a Grammaticis vulgarem modum appellandi exigimus. Sed ita dum statuimus, id quidem confitendum videmus, ex historicorum numero eximendum Polyzelum esse. Quae appellatio ab iis profecta videtur, qui claro scriptis filio clarum affinxerunt parentem eumque historicum, quoniam filius in carminibus suis non mythos solum tractasset, sed historicas etiam res esset persecutus. Quae res effecit, ut essent olim, qui de Ibyco historico fabularentur:

sibi quidem non liquere Harlesius scripsit, in Fabric. bibl. Gr. II. p. 125. Sed ex studio illo, claro filio clarum dandi parentem quot manaverint errores, satis monstratum exemplis est ab aliis, quae nihil attinet vel repetere vel cumulare novis.

Ad Messeniam unum ex majoribus poetae relegavimus. Ut Ibycum a Messeniis Rhegii *συνοικισταῖς* originem duxisse censeremus, haec nos impulerunt. Quum enim Messenii a Spartanis bello vexati exulare coacti essent — diverso autem tempore Messenios Rhegium recepit —, et ipsos illos Rhegii colonos et posteriores odio in Messenii nominis exstinctores incitatos fuisse, naturae rerum congruens est. Neque deflagrarat odium illud, quo tempore post Leuctricum diem Messenios Rheginos et Siculos et alios in avitas sedes revocavit Epaminondas. Testis Pausanias est IV, 26, 4. Cujus inveterati odii vestigia quaedam comparere videntur in his Ibyci reliquiis. Namque fabulam illam Helenae in vastatione Trojae a Menelao suo recuperatae a Lesche Lesbio, quem saepius extenuasse virtutes veterum heroum observare licet, non sine caussa mutuatus debet videri, sed ut effeminatos veteris regis Lacedaemonii mores in dedecus gentis converteret. Itaque posthac Euripides fecit. Alias non fuit, cur Stesichori narrationem posthaberet, vid. infra frgm. XVI. Eodem animo poetam suspicor vituperasse lasciviam virginum Lacaenarum, quas *φαινομηρίδων* appellatione mulcaverit, ob pa-

rum decorum habitum corporis, v. frgm. XLIX. L. Et quum Ibycus a Ps.-Plut. de nobilit. c. 2. insignis nobilium fautor exstitisse perhibeatur, hoc ipsum manifestare videtur, Messeniam patriam majorum fuisse, quum Messeniam partem incolarum Rhegii illustriorem fuisse traditum legamus, Strab. VI. p. 259. Cas. Cfr. Heyn. Opuscc. II. p. 271. Ut conjicias in eorum numero reponendam familiam esse poetae, quos *δυναστευτικοὺς* apud Rheginos fuisse tradidit Heracl. Pont. 25. *ἦσαν παρὰ τοῖς Ῥηγίνοις καὶ ἄλλοι δυναστευτικοί,* praeter Anaxilam dicit. — Quae si quis comparaverit omnia, aliquantum ponderis sententiae nostrae addi, dabit atque concedet.

Nomen *Eelidae,* quod auctor Epigrammatis parenti Ibyci assignat unus, non habeo unde dicam descendere, quum neque ab *ἠέλιος* formatum possit esse neque ab *Ἠλεῖος.* Tametsi vero scriptori epigrammatis non magna fides videtur habenda, ut qui plura nomina in lyricorum poetarum parentibus recensendis usurpet vel a semet novata ipso vel conficta ab aliis, tamen mihi persuasum est, de aetate hominis honestius paullo sentiendum esse, quam Naekius voluit. Is quibus commotus rationibus Musurum auctorem habeat, ignoro, qui summam sententiae Naekii ex uno Welckero acceperim; hoc video, vel externam hanc caussam obstare ei judicio, quod epigramma in libris scriptis Musuri aetate procul dubio antiquioribus exstat

carminibus Pindaricis praemissum. Accedit, quod Musurus nomina a veteribus auctoribus tradita consarcinaturus potius videtur fuisse, quam substituturus nova. Praecidam brevi; scribo: *Ἠετίδα πατρός*, uti est Herod. V, 92, 5. in oraculo Delphico:

Κύψελος Ἠετίδης, βασιλεὺς κλειτοῖο Κορίνθου.

Id quod ad *Ἠετίων* ita pertinet, ut *Δευκαλίδης* ad *Δευκαλίων* (*Δεύκαλος*), aliaque multa apud Hemsterh. in Arist. Plut. p. 207. et Valckenaer. in Herod. p. 421. sine caussa *Αἰετίδης* tentantem. Jam sentio lusisse Grammaticum in nomine illo parenti poetae ascribendo. Nam respexit, opinor, ad *ἠΐθεος*, memor ille crebrae laudis formosorum puerorum in carminibus Ibyciis factae, ut frgm. IV. Similis igitur est Arionis pater *Κυκλεὺς*, compluraque alia ap. Welcker. ad Schwenk. p. 330 sq. ex virtutibus conficta filiorum nomina parentum. Idemque epigramma statim post Parthenium quendam et Eetiam pro parentibus vatis Teji venditat, de quibus quid statuendum esset, Welcker. Syllog. l. l. docuit. Neque enim mirationem facere debet abnormis haec derivatio ludibrii gratia procusa.

Restant duo nomina. Hesych. s. v. *ἰβηκτήρ*, h. e. *ἰβικτήρ*, ut ordo postulat literarum, vitiose scriptum illud pro *ἰβυκτήρ*,[3]) ut vidit Salmas.,

---

3) Saepissime *ι* et *υ* variant in iisdem vocibus. Ita lascivae maritum mulieris Horatius carmm. III, 15, 1. *Ibi-*

Voss., Meurs. Cret. p. 182., Muell. Dorr. II. p. 336, Hesychius igitur ita loquitur: *ὁ παρὰ Κρησὶν Ἴβριος ἐμβατήριον ποιησάμενος, ὅπερ ὁ ᾄδων οὕτω καλεῖται.* Pro *Ἴβριος* Salmas. *Ἴβιος*, Voss. *Ἴβικος* vel *Ἴβυκος*. Quorum hoc verum est unum: nam alias is qui caneret,[4]) non poterat vocari *ἰβυκτήρ*. Ab Hemsterhusio apud Albertum h. l. discrepat sententia nostra in eo, quod post *Ἴβυος*, ita enim scribit, fortasse *πρῶτος* excidisse putat. At talia *ἐμβατήρια* omnesque cantus destinati publico usui consuetudine populari sanciti a patribus propagabantur ad filios, ut Phrynichi et Stesichori paean ap. Athen. VI. p. 250. B., Archilochi cantilena Olympica Pind. Ol. IX, 1. cum Scholl. Quare intellige: Ibycus, qui Cretensibus *ἐμβατήριον* nobile illud et notum composuit.[5]) — Is homo quum vulgo minus notus esset, facile impelli poterat Suidas, ut ad nobiliorem poetam Rheginum pertinere opinaretur, quod de ignobiliore Cretensi illo transmissum a veteribus repperisset. Quare vel huic,

---

cum vocavit; ap. Etym. M. s. v. p. 464. *ἶβιξ* scribitur. Lege Welcker. Trilog. Aesch. p. 479.

4) Intellige eum, qui voce praeiret. Apud Lacedaemonios rex cantum ordiri solebat.

5) De embateriis vid. Mueller. Dorr. l. c., cui adde Serv. Centim. p. 1820. Putsch. »Embaterium est proprium carmen Lacedaemoniorum. Id in praeliis ad incentivum virium per tibias canunt, incedentes ad pedem ante ipsum pugnae initium.«

vel si minus probabile videtur, ejus hominis nomen parentis notum fuisse, alii alicui Ibyco cedimus lubenter Cerdantem. Nam si quis forte ita decernendum existimaverit, ut nomen illud ab indole Rhegini quaestui intenti originem duxisse dicat, is in memoriam revocet Pind. Isthm. II, 6.

Ἁ Μοῖσα γὰρ οὐ φιλοκερδής πω τότ' ἦν οὐδ' ἐργάτις. Quanquam hoc non ita accipi velim, quasi omnino poetae antiquiores gratis hominibus studia sua addixerint: nec prisci poetae epici aurum reformidarunt: sed interest inter pecuniam labore partam et turpem quaestum. Vide quae disseruit Welcker. de Prod. Ceo, Mus. Rhen. 1832. I. p. 30 sqq. Et ut Anacreontem Polycrates auro donavit, ita procul dubio et Ibyci operam pretio redimebat. Pro vera haberem istam nominis originem, si Simonidi Ceo Cerdantem parentem legerem additum.

Servavimus hunc in modum Ibyco Rhegino patrem *Phytium*, idque fecimus his ducti argumentis. Primum enim non leve debet videri, quod primo loco a Suida positus est. Id nomen apud plerosque eosque locupletes auctores reppererat. Relicuos, explosos a nobis subjunxit ex fide aliorum minus locupletium testium. Quanquam id quidem non magnopere premendum est, quod Eudoc. Violet. p. 247. unum illum Phytium commemoravit, quippe quae de more Suidam compilaverit. Plus apud nos alterum valet argumentum, quod Phy-

tiorum nomen, alias non ita vulgare, domesticum apud Rheginos fuisse apparet. Idem enim gessit nomen philosophus Rheginus, Pythagorae assecla ap. Iamblich. vit. Pyth. 27. 30., et dux Rheginorum in bello gravissimo contra Dionysium primum, Syracusanum, gesto illo Olymp. IIC, fuit Phyton, Diodor. XIV, 108., Philostr. vitt. Soph. VII, 2. p. 280. Olear.

Sed aliquando mittamus haec. Manet nos alia quaestio, satis lubrica illa, quo tempore floruisse poetam putemus. Suidas Samum eum adisse tradit ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης, ὁ τοῦ τυράννου πατήρ. *Χρόνος δὲ οὗτος ὁ ἐπὶ Κροίσου, Ὀλυμπιὰς νδ΄.* A quo testimonio non leviter recedunt Cyrill. adv. Julian. I. p. 13, A. *πεντηκοστῇ ἐνάτῃ Ὀλυμπιάδι Ἴβυκος ὁ μελοποιός.* Hieronym. Euseb. Chron. ad Ol. LX, 1. »*Hibicus, carminum scriptor, agnoscitur.*« In Eusebio Armenio haec desunt. Legebatur autem ante Scaligerum *Hippicus.* Is pag. 95. affert scripturam cod. Petav. *Hibicus,* unde Arnald. Pontacum episcopum Vasatensem collegisse legendum *Ibycus.* Estque et depravationis aperta caussa et certissima correctio, ut non mirandum sit, quod multi homines eruditi calculum ei suum adjecerunt, velut Salmas. Exercitt. Plin. I. p. 38., Vales. emdtt. p. 117., Burmann. ad easdem p. 232. et cum Harlesio Welcker. Hipponact. reliq. p. 10. not. Illud jure mirum videatur, quod Schurzfleischio notit. bibl. Vinar. p. 238. 257. placuit sub-

stituere nomen *Hipponactis*, qui aequalis Ibyci fuit, v. Clinton. fastt. Hell. p. 7., Hieronymo jam alio memoratus loco. Sufficit enim vel illud obmovisse solum, *carminum scriptorem* non potuisse dici Hipponactem, *ἰαμβογράφον*, *ἰαμβοποιὸν*, *iamborum scriptorem* debuisse. Nam ita Hieronymum solere interpretari Graecum *λυρικὸν*, *μελοποιὸν*, *ποιητὴν μελῶν*, dudum observatum est. Alia Vossio de poett. Gr. p. 203. in mentem venerunt. Primum enim quaerit, num *Hippias* legendum sit; at hunc elegiacum fuisse poetam. Memorata Pontaci emendatione fluctuat: tandem devenit ad *Hippyn* Rheginum: at ne quid de aetate dicam historici, quod Vossius eum poetam scribit fuisse parodiae, choliambi aliorumque inventorem carminum, fefellit eum Suidas, apud quem quae s. v. *Ἵππυς* in hanc rem narrantur, ad Hipponactem pertinere, proxime apud Suid. praecedentem, jam Kustero intellectum est, v. Welcker. Hippon. p. 16. Eundem tamen errorem recoxit Eudoc. Viol. p. 245. —

Primum mihi satis coarguere Suidae verba ipsa videntur, quem exscripsit auctorem, nihil affirmasse aliud, nisi ad Polycratem Samiorum tyrannum poetam sese contulisse; ipsum de suo apposuisse Olympiadem, qua Polycratem tyrannidem sciret obtinuisse. Alias enim nude scripsisset *Ὀλ. νδ′*, non uti nunc scriptum legimus. Et illud quidem verum est, floruisse Polycratem Ol. LIV, cui notae anni cur Lil. Gyraldus Olymp. L substituerit, non in-

telligo, quum omnibus momentis pensiculate exactis certum sit, tyrannidem Polycratis fere inde ab Ol. LIII, 3 usque ad LXI, 1 ponendam esse. Et ita cum Bentlejo statuit Panofka rer. Sam. p. 30 sqq. In eo autem falsus Suidas est, quod Croesum jam tum temporis regnasse affirmat, quem Ol. LV, 3 regnum accepisse constat, v. Bentlej. Opusc. p. 185 sqq., cll. tamen Clint. de Lyd. regg. p. 310 sq.

Quum igitur patefactum videatur, Suidae notationem temporis acceptam referendam esse, Eusebius autem atque Cyrillus ex antiquis fontibus et sinceris sua hausisse videantur, efficitur, ad Polycratem quidem venisse poetam, nondum venisse Suidae tempore. Quare fidem equidem adjungo Cyrillo poetam Ol. LIX memoranti. Qui si teste Hieronymo Ol. LX, 1 agnoscitur, *γνωρίζεται*, non multo post Samum videtur petisse, invitatus fama tyranni studiosi hominum literis artibusque excultorum.[6]) Ut eodem tempore Sami videatur versa-

6) Quod Diogenian. provv. I, 71., V, 12., Arsen. Viol. p. 78., coll. p. 275., Apostol. IX, 81. perscripsere: *ἀρχαιότερος Ἰβύκου· ἐπὶ τῶν εὐηθῶν. οὗτος γὰρ τυραννεῖν δυνάμενος ἀπεδήμησεν*, id vereor ut jure huc trahamus. Nam licet nomen Ibyci recte repositum videatur (codd. Arsen. et Apost. *Αἰβέκου*, *Αἰβύκου* tenent), tamen non constat, utrum ad poetam Rheginum hoc referendum sit, an ad alium terrae filium spectet. Praeterea fallor, an origo proverbii nude traditi praepostero Grammaticorum debetur studio. Scatent enim hae proverbiorum

tus esse, quo Anacreontis consortio usum tyrannum accepimus, Ol. LXII, 2, cfr. Clinton. p. 13. Quodsi autem vere Ol. LX, 1 agnitus poeta est, eique tum viginti annorum aetatem tribuimus, quum nascentem poetarum gloriam respexisse videantur, qui in ora venisse hominum produnt, natum habebimus Ol. LV, 1. In qua ratione nobis in tanta testium vel paucitate vel incertitudine acquiescere tutissimum videtur. Neque enim inde quicquam lucramur, quod Simonides post eum vixisse perhibetur, v. Schol. Apoll. Rh. IV, 815, quem aetatem longe produxisse pervulgatum sit, v. Niebuhr. ap. Maj. Cic. Rep. II, 10, qui locus si exstaret integer, certiora de aetate Ibyci liceret proferre. Universe vero haec nostra putatio temporum confirmatur loco Grammatici in Boisson. Anecdd. Gr. IV, p. 458, qui lyricos poetas eo ordine enumeravit, quo floruerunt his verbis: *Λυρικοὶ δέ εἰσιν οὗτοι· Ἀλκμὰν, Στησίχορος, Ἀλκαῖος, Ἴβυκος, Ἀνακρέων, Σιμωνίδης, Πίνδαρος, Βακχυλίδης.* Unde apparet, Anacreonti, quem Euseb. Ol. LXII, 1 floruisse refert, praecessisse aetate poetam Rheginum. Ceterum hoc specimen editor ex Didymi libro de poetis lyricis excerptum suspicatus est. Conveniunt sane in Didymi indolem, qualem aliunde co-

collectiones explicationibus in cerebello natis collectorum. Plura similia v. ap. Wolf. frgmm. poetriar. p. 78., Meinek. Euphor. p. 179., ex quibus de vero proverbii significatu judicare licet.

gnitam habemus, quae adduntur de *μελῶν* appellationis origine, et, si paullo liberius in restituendis depravatis illis verbis licuerit versari, quae originationes illas proxime antecedunt: *διὸ δεῖ ταῦτα παρ᾽ αὐτοῖς,* ipsum prodibit nomen Didymi. Nam ita scriptum fuisse conjicio: *Δίδυμος δὲ λέγει ταῦτα περὶ αὐτῶν.* Quae quum compendio scripturae consignata essent, aberratum est. — Quae rationes impulerint Saxium, ut Onom. I. p. 23. poetam Ol. LVI, 3 floruisse poneret; Passovium in elem. hist. Gr. literar., ut Ol. LVII, 2, non habeo dicere. Alios sciens mitto. —

Sed ne quis nos socordiae reos agat, reddenda ratio est, cur spreverimus quod Suidae vulgaria exempla docent, patrem Polycratis tyranni Samii regnasse, quum insulam poeta noster adiret; Suid. *εἰς Σάμον ἦλθεν, ὅτε αὐτῆς ἦρχε Πολυκράτης, ὁ τοῦ τυράννου πατήρ.* Quae verba adeo torserunt magnum Bentleium, ut in hac historiae parte se caecutire profiteretur ipse, Opuscc. p. 186. Nam quum verba salva putaret esse, regnum patris tyranni ad Ol. LIV a Suida referri censuit, quum idem Suidas s. v. *Ἀνακρέων* filium exercuisse tyrannidem Ol. LII perscripsisset. De patre illustris tyranni Polycratis Polycrate et Lil. Gyraldus olim cogitaverat, nec falsum id esse Clinto odoratus est, qui in fastt. Hell. sub Ol. LVIII, 2 ex uno hoc Suidae articulo majorem Polycratem commentus sit. Errori superstruxit errorem idem Clinto

in commentat. de philosoph. Jonic. aetate, quae legitur in Mus. philol. Britann. 1831, I. p. 89 sqq. Quum enim Apollodorus ap. Diog. Laert. II, 2. Anaximandrum testetur *ἀκμάσαι πη μάλιστα κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμου τύραννον*, seniorem Polycratem intelligit, quem annos ante alterum Polycratem floruisse dicit XXXII. At, ne quid aliud moveam, cur adeo negligentes fuerunt in notatione temporum et distinctione hominum tum alii scriptores Graeci, tum intelligentissimus illius disciplinae Apollodorus, ut integrum relinquerent, quem cuique collubuisset, intelligere? Ut hic certe locus non recte in aetate Anaximandri terminanda a Clintone usurpatus sit. Omnino nunquam profecto Samiorum rempublicam major Polycrates administravit, quem quominus a Suida arbitreris significatum esse, vel temporum praepediunt rationes solertius investigatae. Patrem autem tyranni Polycratis Aeacem constat fuisse; constat Polycratem demum ex civi in tyranni gradum evectum; constat, eum demum tanto vel bonarum artium ardore incensum fuisse vel cupiditate gloriae, ut poetarum commercio frui pulchrum arbitraretur. Quibus omnibus reputatis neminem dubitaturum confido, quin verba, quae apud Suidam sunt, corruptelam traxerint. Quod qui primus vidit ei non feliciter cessit emendatio. Panofka enim rer. Sam. p. 30. *πατὴρ* in *ποιητὴς* voc. mutato, commate si placeat incidens post *Πολυκράτης*, *poetam aulicum* extu-

dit. Sed ne quid de hoc munere dicam atque compellatione Graecis auribus inaudita, id si modo dicere et voluisset Suid. et potuisset, efferendum Graece fuit. Lenissimo usi remedio loco sensum suum reddimus ita: *ὁ τοῦ τυραννικοῦ πρ̃*, id est *πρῶτος*, tyrannorum Samiorum princeps, ut suppleatur cogitatione *κράτους* sive mavis aliud; quod si improbaveris, eodem sensu, mutatione non multo audaciore, *τῶν τυράννων* reponas auctor sum. Pervagatum autem est, vulgaria illa nomina et saepe redeuntia, velut *πόλις*, *πολίτης*, *βασιλεὺς*, *πατὴρ*, *πρῶτος* rell. a librariis non exscripta incurtata esse; unde frequentissima exorta confusio est. Neque minus frequenter permixta adjectiva in *ικος* et *ος* terminata, v. Walz. Arsen. Viol. p. 287. Illius generis promam exemplum. Antimach. in I libr. Thebaid. ap. Steph. Byzant. s. v. *Τευμησσός*, ap. Schellenb. frgm. III ita scriptus est:

Οὕνεκα οἱ Κρονίδης ὡς μέγα πάντων ἀνάσσει
Ἄντρον ἐνὶ σκιῇ τευμήσατο sqq.

In quibus *ὡς* illud ortum nobis est ex *βασιλεὺς* vocis compendio, quo reposito relicua sponte coeunt in versum; in altero *σκιῇ* recte Meinek. Euphor. p. 129. emendavit:

Οὕνεκα οἱ Κρονίδης βασιλεὺς μέγα πᾶσιν ἀνάσσων
Ἄντρον ἐνὶ στίῃ τευμήσατο.

Sami quamdiu commoratus sit poeta et quomodo a Polycrate habitus, non tradidisse veteres, est quod miremur, qui multi sunt in praedicanda

familiaritate Anacreontis atque tyranni. Nam ad Suidam quidem non debebat provocare Panofka l. c. p. 32., *per plures ibi annos poetam degisse,* ne verbo quidem significantem. Si verum est, quod supra conjecimus, ut cum Anacreonte ibi versatus sit, in eam aetatem carmina potissimum incidere amatoria, non ineptum fuerit suspicari. Huc spectare crediderim proverbium Macar. ap. Walz. Arsen. Viol. p. 247. not. *Σαμιακὴ λύρα. ἐπὶ τῶν εἰς τρυφὴν ἐκκεχυμένων.* De carmine aliquo in honorem Sami conscripto diximus ad frgm. XXXVII. In Sicilia cum lyra versantem infra videbimus. Quo usque vitam produxerit poeta, ignoramus; nisi quod frgm. II confitetur ipse, se in senectute constitutum esse.

Rheginum adhuc simpliciter vocavimus Ibycum, nixi locupletissimis testibus, qui et aperte et tecte significant Rheginum. Nam Strab. VI, p. 259. Cas. nostrum quoque poetam in mente videtur habuisse, Rheginam urbem vindicans *πολλοὺς ἄνδρας παρασχομένην ἀξίους λόγου, τοὺς μὲν κατὰ πολιτικὴν ἀρετὴν, τοὺς δὲ κατὰ παιδείαν.* Accedit testimonium Grammaticorum, qui dialecti Rheginae non testificarentur auctorem Ibycum, neque schema vocassent Ibycium id, quod Rheginorum proprium esset, nisi Ibycum Rhegio oriundum persuasum habebant. Adversari videtur primo quidem obtutu huic omnium auctorum testimonio quod supra exsignavimus epigramma:

Ἴβυκος Ἰταλὸς αὖ ἐκ Ῥηγίου ἠὲ Μεσήνης. 7) Ita omnes exhibent praeter Ursinum, quem ἠδὲ edidisse laetor. Nam talem memorare discrepantiam rumoris Glossographo convenientius est, quam vel aridissimo poetae. Reposito igitur ἠδὲ poeta tangit et solum poetae natale et sedem majorum, de qua re supra disputavimus. Itaque voluisse auctorem Epigrammatis docet, quod, si Messanam Siciliae dicere voluisset, vel *Ἰταλὸς* omittendum fuit vel addendum *ἢ Σικελός.* Corroborat autem hic locus, quod suspicati sumus, poetam ipsum in carmine aliquo locutum esse de origine Messenia ut nobili atque honorifica.

Itali et Siculi recentiores prouti vel Rheginis favent vel Messanensibus, qua excellunt levitate, aut Rheginum poetam faciunt aut Messanensem. Velut Mongitor biblioth. Sic. p. 306. non dubitavit profiteri: *Messanae fautoribus adhaerens Messanae Ibycum ascribo.* Mitto inanes istorum hominum rixas fide historica carentes. Mongitorem

7) Licet codd. saepissime offerant scriptum *Μεσήνη*, tamen numis se assentire professus est Walz. Arsen. Viol. p. 64, σ duplicantibus; epigrammatis nostri scripturam nihil in eam rem probare, cujus de aetate non constet. Eodem redit judicium Krebsii lectt. Diod. p. 147., Dindorf. ad Isocr. Paneg. 16. Sed jam veteres ita decrevisse Steph. Byz. s. v. docet. Qui Asinio Quadrato utitur teste, esse aliam regionem *Μεσήνην*, δι' ἑνὸς σ. Poetis autem licuit alterum demere metri gratia, quum σ proxime ad liquidarum naturam accedat.

jam Morisan. inscrr. Regin. pag. 88. vituperavit, paullulum prudentior ipse. Constant. autem Lascaris ap. Maurolyc. hist. Sic. p. 18 sq. Messanae natum fingit Rhegino ex patre. Quem ita ut traderet seduxisse Suidas videtur, qui Ibycum *γένει Ῥηγῖνον* fuisse scribat. At hunc apertum est voluisse nihil aliud, nisi patriam habuisse poetam Rhegium, abisse autem Samum. Alia chorda oberravit Voss. de poett. Gr. p. 91., de hist. Gr. IV, 1, p. 432., qui hoc extorserit ex verbis Suidae, patrem quidem Messanensem fuisse, filium natum Rhegii. Quod quidem Harlesio probatum non posse verum esse, necessaria consecutione efficitur ex iis, quae supra disseruimus. —

Pervulgata et Schilleri nostratis Musa celebrata mors poetae est per latrones inflicta, post divina providentia eximie vindicata. Quam rem quum plures auctores prodiderint, aetate princeps est Antipater Sidonius in Anth. Pal. VII, 745. *εἰς Ἴβυκον τὸν Λυρικὸν ὑπὸ λῃστῶν πεφονευμένον.*

Ἴβυκε, ληΐσταί σε κατέκτανον, ἔκ ποτε νήσου
βάντ᾽ ἐς ἐρημαίην ἄστιβον ᾐόνα,
ἀλλ᾽ ἐπιβωσάμενον γεράνων νέφος, αἵ τοι ἵκοντο
μάρτυρες, ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον.
οὐδὲ μάτην ἰάχησας, ἐπεὶ ποινῆτις Ἐρινὺς
τῶνδε διὰ κλαγγὴν τίσατο σεῖο φόνον
Σισυφίην κατὰ γαῖαν. ἰὼ φιλοκερδέα φῦλα
ληϊστέων, τί θεῶν οὐ πεφόβησθε χόλον;

οὐδὲ γὰρ ὁ προπάροιθε κανὼν Αἴγισθος ἀοιδὸν
ὄμμα μελαμπέπλων ἔκφυγεν Εὐμενίδων.

Qui facinus commemorarunt relicui, latrones poetam in deserto loco comprehensum obtruncasse consentiunt cum Antipatro, uti Suidas; insulae praeter Antipatrum nemo meminit. Quae quid sibi velit, non est facile exputare: non enim ita possunt verba explicari, ut poeta profectus ab insula nescio qua in terram continentem trucidatus existimetur; nam tum *ἀπὸ* fuit dicendum. Praeterea insulam illam expresse nominatam exspectamus. Quare non possumus non amplecti emendationem Jacobsii *ἔκ ποτε νηὸς* rescribentis. Adversamur autem Peerlkampio, qui in bibl. crit. nov. IV. p. 49. vulgaris scripturae vindex verba ita ordinanda censet: *σε ἐκβάντα ποτὲ ἐς ἠϊόνα νήσου*, cui interpretationi reluctatur et positura verborum et ipsius Antipatri mens, qui scelus in agro Corinthio et commissum et punitum facit. Nam illud etsi non diserte addit, sumendum est necessario. Quid enim ad Corinthios, si scelus in remota terra perpetratum fuit? quomodo rumor ad Corinthios venit? per nautas, ais. At omnem fidem excedit, Corinthios rem fando acceptam longo tempore post studiose aperuisse. Eodem vulnere, quo Peerlkampiana explicatio Orellii laborat emendatio *νήσου* — *ἐρημαίης*, ap. Jacobs. nott. critt. p. 413. Poeta igitur ex mente Antipatri ad terram Corinthiam appulsus a praedonibus, quibus auxiliatur servus

ipsius Heracles sive Horacles, post vivus rogo impositus, v. Ptol. Heph. ap. Phot. p. 477. Hoesch., quum interimitur, grues forte supervolantes obtestatur, ne se ab hominibus derelictum patiantur inultum. Postea latrones in theatro consederunt; ibi quum grues comparuissent, ridentes illi: »Ecce vindices Ibyci!« Quod quum exaudivissent nonnulli, qui poetam evanuisse multumque frustra quaesitum nossent, rem ad magistratus deferunt; comprehensi latrones facinoris conscientia exanimati, rem confitentur. Nec justas poenas effugerunt: fortasse, si ex servo conjectura facienda est, vivi concremati sunt.

Ita fere haec enarrant Plutarch. de garrul. II. p. 610, A., Nemes. de nat. hom. 42. p. 305. ed. Oxon., divinae justitiae clarissimum exemplum ratus; Suid., Eudoc. Unde proverbii loco usurpatum est *αἱ Ἰβύκου γέρανοι*, v. Zenob. Adag. I, 37., Diogenian. I, 35., Apostol. II, 14., Arsen. Viol. p. 30. alii.

Cujusmodi fabellas nemo ambiget fundo niti aliquo: quin temporis progressu varie exornatae sermonibus populi, variisque convestitae floribus poetarum sint, nemo dubitabit. Quare hoc quidem lubenter accipimus, poetae in solitaria regione interfecti infortunium miro casu in lucem protractum esse. Sed de relicuis videamus, quid statuendum sit.

Primum grues potissimum qui se vindicarent

poeta invocasse ideo dicitur, quia aves, de quibus nominatus est, ibyces *κρακτικαὶ* fuerunt, ut grues *κρακτικαὶ* perhibentur esse, v. Procl. in Hes. Opp. p. LXII. b. Trincav. Preces igitur fudit ad eas aves, quarum quasi in tutela esset. Deinde, ut de loco caedis quaeramus, in agro Corinthio interfectum esse cum Antipatro consentit unus Macar. Chrysoc. ap. Walz. ad Arsen. Viol. p. 30. *Ἴβυκος ὑπὸ ληστῶν ἀναιρούμενος καὶ γεράνους ὑπερ-ιπταμένας ἰδὼν ἐμαρτύρατο. Χρόνου δὲ παρελθόντος οἱ λησταὶ ἐν θεάτρῳ θεώμενοι ἐν Κορίνθῳ γεράνους* et quae sqq. Quem hominem illud *ἐν Κορίνθῳ* eadem ratione ex Antipatro derivasse consentaneum est, qua interpres vetus Nemesii l. c. de suo interposuit *civitatem Corinthiorum.* Recentiores vv. dd., quos noverim, omnes hoc ita susceperunt, tanquam de veritate dubitatio nasci omnino non possit. Corinthus Schillerum movit, ut ad Isthmios ludos poetam tendentem faceret. 8) Nos quidem complures impellunt caussae, huic rei ut fidem derogemus. Primum non constat aliunde, in Graecia versatum poetam esse: nam a Polycrate in patriam reversurum non potuerit sumi necatum esse; si quidem juvenis ad tyrannum tetendit, non tamdiu Sami remansisse censendus est,

---

8) Multa immortalis vir liberius, ut poeta, sibi indulsit, quae vix fas esse rimari recte Meinek. Euphor. p. 113. arbitratus est.

senex ut evaserit. Tum post longum tempus facinus patefactum est: cui autem credibile videatur, corpore in agro Corinthio invento agnitum poetam esse et magistratus longo tempore interjecto in eam rem inquisivisse? Quare ita statuo. Haesit in mentibus omnium mirabile fatum Arionis Methymnaei, de quo cfr. Herod. I, 23 sq., Lorentz. de orig. vett. Tarent. p. 11. Qui quum et ipse divinitus servatus crederetur, commixtus est cum Ibyco, simili casu uso, poeta item lyrico, unde poetae Rhegini interfectio errore tralata Corinthum est. Quod nemo mirabitur, qui narrationis fidem consideraverit nec neglexerit reputare, quot figmentis poeticis historia poetarum Lyricorum scateat, quot confusionibus turbata sit. Ut utamur, quod ad nostrum poetam pertinet, Archilochus in praelio interfectus fuit: Plin. H. N. VII, 29, 30. per latrones occisum tradit, quem sequitur Solin. polyh. I, 9. Intellexit Salmas. Exercc. Plin. p. 38., eam narrationem non tam quadrare in Archilochum, quam repetitam ab Ibyco esse; cui sine caussa oblocutus est Liebel. Archil. reliq. p. 44. Ab Arione navigationem repetiit, de qua nihil perscripsere relicui.

Diversa de loco caedis jam veteres fabulatos esse, docet Jamblich. vit. Pyth. 27. p. 268. Kiessl. *καί μεταφερόμενον δέ ὑπὸ τῶν ἀγνοούντων εἰς τόπους ἑτέρους ἐν Κρότωνι γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι θέας οὔσης καί γεράνων*

ὑπὲρ τοῦ θεάτρου φερομένων, εἰπόντος τινὸς τῶν καταπεπλευκότων πρὸς τὸν πλησίον καθήμενον· ὁρᾷς τοὺς μάρτυρας; ἐπακούσας τις τῶν Πυθαγορείων ἤγαγεν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ τῶν Χιλίων ἀρχεῖον, ὑπολαβὼν, ὅπερ ἐλέγχοντες τοὺς παῖδας ἐξεῦρον, καταπεποντικέναι τινὰς τὰς ὑπὲρ τῆς νεὼς πετομένας γεράνους μαρτυρουμένους. In q. l. Kusterus similem de Ibyco ab aliis narrari fabulam notavit. Non posse dubitari, quin Ibyciae narrationis umbra lateat, detortae illius studio Pythagoreorum, vel *οἱ ἀγνοοῦντες* et *τόποι ἕτεροι* documento sunt. Quo pertinet illud, quod Crotone rem factam scripsit Jamblichus vel quem ducem habuit Pythagorae sectator, ut Pythagoreorum perspicacitas mentis dicam an divinationis egregia facultas laudibus efferretur. Nam vatem eum oportet fuisse, qui excepta exclamatione illa subobscura statim augurio praecepit, quid rei ageretur. Non facile autem eo impudentiae procedere potuisse Jamblichum judicarim, id ut Crotonem transferret, quod alio loco accidisse certo constitisset. Ut id quidem docere videatur hic locus, in Italia inferiore perpetratum facinus fuisse. Adde, quod Lascaris l. c. haec perscripsit: »Cum per Calabriam iter faceret, in sylva quadam in latrones incidit« et rell. Quanquam homini alias non magna fides debetur, qui tam insigniter erraverit, ut Alcmanem Mesoatem Messanensem Siciliae fecerit, tamen haud scio an hanc quidem famam ex antiquis fontibus hau-

serit. Nos ut non procul a patria urbe poetam interfectum, rem Rhegii declaratam statuamus, quum alia impellunt, tum disertissimum testimonium Epigrammatis in Brunck. An. III, 2. p. 164., Anth. Pal. VII, 714. *ἀδέσποτον εἰς Ἴβυκον τὸν λυρικὸν ποιητήν.*

Ῥήγιον Ἰταλίης τεναγώδεος ἄκρον ἀείδω,
αἰεὶ Θρινακίου γευομένην ὕδατος,
οὕνεκα τὸν φιλέοντα λύρην φιλέοντά τε παῖδας
Ἴβυκον εὐφύλλῳ θῆκεν ὑπὸ πτελέῃ,
ἡδέα πολλὰ παθόντα· πολὺν δ' ὑπὸ σήματι κισσόν
χεύατο καὶ λευκοῦ φυταλιὴν καλάμου.

Cujus de fide ne levissima quidem caussa est, cur sollicitemur. Nam si cenotaphium civis sui cives Rhegini exstruxissent, vix poterat eam ob rem poeta urbem tam insigniter collaudare. Quodsi juxta Rhegium occisum statuimus, tum demum congruens est, quod longo tempore interposito patefactum facinus legitur. Nam cives fas est civis egregii nefarium interitum luxisse, ut facile, si cui verbum imprudenti excidisset, arriperent ad vindictam de scelestis hominibus sumendam. Jam vero Jamblichi pia fraus minus culpanda videbitur, quoniam et Rhegii *οἱ χίλιοι*, ad quos delata res dicitur, summos magistratus gesserunt, v. Heracl. Pont. 25., et Crotoniatarum remp. administrasse mille viros optimates accepimus, v. praeter Jambl. l. l., Dicaearch. ap. Porph. vit. Pyth. 18., Heyn. Opusc. II, p. 182., Muell. Dorr. II. p. 179.

Adde, quod Pythagorei Crotone a Cylone ejecti Rhegium confugerant tempore Anaxilae tyranni, Aristox. ap. Jambl. 35., unde tot Rheginos in Pythagorae discipulos relatos legimus.

Non praetereunda nobis consimilis fabula Germanica, qua cum Ibycia narratione collata apparere videtur, ad confirmandam divinae justitiae persuasionem talia in ore populi solere celebrari variisque coloribus pro temporum ratione diversis condecorari. Fabulam dicimus, quae exstat in Boner. Margarit. fab. LXI. Caupo jussu regis comes additur Judaeo, qui auro oneratus iter facturus per silvam esset. Judaeum cauponem sibi insidias struere sentientem metus incessit: aves ibi circumvolitantes rem aperturas affirmat. Caupo perdicem advolantem conspicatus per ludibrium exclamat: *Ecce! Judaee; qua te afficiam mortem declarabit perdix.* Post caupo regi perdicem ministrat, risum tenere impotens. Caussam rege sciscitante conturbatus rem prodit: suspensus poenas luit. Simili fundamento nititur fabula ap. fratres Grimmios II, 29.

Hactenus de vita fatisque poetae disputavimus: consequens est, ut de vitae indole dispiciamus. Nam poeta lyricus quum sui sensus pectoris fidibus committere soleat, et ad explicandam carminum affectionem opus est cognitos habere mores vitaeque rationes poetae, et ex carminibus derivanda patet esse, quibus illa vel sustententur vel

evincantur falsa. Posteriorum judicia saeculorum de moribus antiquorum poetarum consignata maximam partem ex carminibus apta fuisse, non aequalium scriptis tradita vel haec docent Ciceronis, dispp. Tuscul. IV, 33, 71. »Quid homines doctissimi et summi poetae de se ipsis et carminibus edunt et cantibus? Fortis vir in sua republ. cognitus quae de juvenum amore scribit Alcaeus? nam Anacreontis quidem tota poesis est amatoria.[9]) *Maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum apparet ex scriptis.*« Hactenus Tullius. Carminibus nititur hoc judicium amatoriis: quae quum flagrantissimi desiderii notis distincta, versuum ambitu et conformatione strophica insignia, alios poetas eidem poesis generi intentos longe post se relinquerent, videntur effecisse, ut alia Rhegini poetae carmina continuo obscurarentur. Probe vero factum, quod Cicero non dissimulanter judicii fontes indicat: neque nos ii sumus, qui gravi testi fidem denegare conemur, quum vel tantillae reliquiae satis superque integritatem judicis asserant: hoc cavemus, ne quis inde vitam poetae in omnes amores effusam jactet fuisse. Quanquam alii homines aperte de furioso poetae amore in pulchros pueros vociferantur. Solent enim posteriores scriptores in eam partem propen-

---

9) Eundemque tamen a morum corruptela vindicat sobriumque et temperantem vixisse auctor Athenaeus est X, 7.

siores esse, ut hominibus vel suos amores aperte confessis vel omnino argumenta amatoria complexis 10) flagitia quaeque exprobrent. Epigramma supra positum pag. 28. *τὸν φιλέοντα λύρην φιλέοντά τε παῖδας* et aliud in Br. Anal. III. p. 260, 520. Anth. Pal. IX, 571. *ἡδύ τε πειθοῦς Ἴβυκε καὶ παίδων ἄνθος ἀμησάμενε,* quorum alterum carmina ad animos in amorem pelliciendos scripta tangit, alterum poetae amores innuit, ut in eodem Epigr. est *Πειθὼ Ἀνακρείοντι συνέσπετο.* Cumulum imponit Suidas: *γέγονε δὲ ἐρωτομανέστατος περὶ τὰ μειράκια,* quae nituntur omnia iis carminibus, quorum in pulchros conscriptorum *ἠϊθέους* superest frgm. IV. Ad frgm. II. haec adscripsit Proclus in Plat. Parm. V. p. 317. Cusin. *Ὁ δὲ Ἴβυκος ὅτι μελοποιὸς καὶ ὅτι περὶ τὰ ἐρωτικὰ ἐσπουδακὼς καὶ ὅτι πρεσβύτης ὢν καὶ εἰς τὸ γράφειν ἐρωτικὰ προαγόμενος διὰ τὸν τόνον τοῦ ἐρῶντος* (scribe *Ἔρωτος*), *κατοκνεῖν φησὶ τὴν γραφὴν ἔν τινι τῶν ἑαυτοῦ μελῶν, οὐκ ἄδηλον τοῖς τῶν ἐκείνου διακηκοόσιν.* Sed, videamus, ne iniquiores nos exhibeamus poetae Amoris stimulos non studiose dissimulanti: fuerit sane deditus amori — non certarim —; modo teneamus, qui in aestum poetae

10) Uti Menandro accidit. Quem Suid. auctor est fuisse *περὶ γυναῖκας ἐκμανέστατον*; quod judicium ex fabularum argumentis profluxisse, hominem integre sobrieque vixisse docuit Meinek. Menandr. et Philem. reliqq. p. XXVIII.

amatoris verba faciant, non ex aliis monumentis profecisse, quam ex carminibus, ut forsitan Ibyco idem dicere licuerit, quod Ovidius de se gloriatur ipse:

Acceptum refero versibus esse nocens.

Et quis est, qui poetam oestro Amoris percitum putet scribere potuisse ejusmodi carmina, qualia scripsisse eum infra demonstrabimus? quis, quin diffidere incipiat incertis illis rumoribus, quum haec scripta viderit eidem illi in rabiem amandi exstimulato, ut volunt, poetae, fragm. LI.

Μή τι πὰρ θεοῖς ἀμβλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώ-
πων ἀμείψω.

Sed uti istos homines iniquius de amoribus poetae sensisse apertum est, ita hodieque falsa loci interpretatione videmus turpis puerorum amoris notam optimo poetae inustam. Nam apud Aristoph. Thesmoph. 161. Agatho poeta ita ad Mnesilochum:

σκέψαι δ' ὅτι
Ἴβυκος ἐκεῖνος κἀνακρέων ὁ Τήϊος
Κἀλκαῖος, οἵπερ ἁρμονίαν ἐχύμισαν,
ἐμιτροφόρουν τε καὶ διεκλῶντ' Ἰωνικῶς.

Riserat ob habitum muliebrem Agathonem Mnesilochus: respondet ille, ubi quis, in carminibus puta, res muliebres tractet, ad muliebrem se ornatum aggregare debere. In exemplum proponit illos tres poetas; molles eos fuisse, more Ionum, mitraque redimitos affirmat. Perperam amoris pue-

rorum reprehensionem intuleris: nihil enim faciat ad Agathonis comparationem ob habitum parum virilem exagitati. Nihil dicit aliud, nisi in luxuriosiorem cultum corporis hos poetas compositos cecinisse ad lyram mollioribus modis: quem in conviviis aliisque festis conventibus morem regnasse pervagatum est. Ut nostra quidem ratio plane discrepet a Welckero, Jahn. Annall. 1830. I. p. 20.

Leviuscula res est neque praetereunda tamen, quam hic memorabimus. Dicit Ovid. Tristt. II, 361 sqq. teneros non se solum composuisse amores, composito poenas solum amore dedisse. Addit:

Quid, nisi cum multo Venerem confundere vino
Praecepit Lyrici Teia Musa senis?

Ad quae memorabile est, in codice praestantissimo Puteani nonnullisque aliis adscriptum esse in margine:

Alocus ingentes movit praeceptor Amores,
Alceus ipse tamen transit in urbe sua.

Eaque Heinsius ex loco Tusculanarum, quem attulimus supra, a sciolo quodam repetita intellexit: verissime: nam quos librarius poetas apud Ciceronem in simili re compositos meminit, a Nasone omissos aegre tulit; ipse supplevit vel utrumque, vel alterum. Burmannus in priore versu scripsit *Ibycus*, in altero recte *mansit*, nisi eodem intellectu retinere malis *transit*, cll. Intpp. Sall. Catil. 2. Ego si modo Ibycum memoravit glossator, alteri versui addo: priorem refingo in hanc speciem:

Alcaeus gentes movit praeceptor amoris,
Ibycus ipse tamen transit in urbe sua.

Nam non adeo modulationis imperitum putaverim hominem fuisse, ut mediam in Alcaeo corripuerit: praeterea *praeceptor* desiderat adjunctam memoriam rei praeceptae; Cicero denique praeposuit Alcaeum, a quo non erat cur discederet iste.

His explanatis ad consideranda genera et indolem carminum ab Ibyco confectorum orationem deducamus. Nobilitata eximie carmina ejus fuisse amatoria, vel suos complexa amores, ut frgm. I. II. III., vel aliorum, ut carmen Gorgiae inscriptum, v. frgm. VI., docent quae supra de moribus poetae disseruimus. Ardentissimum omnia spiritum et nisum ostendunt, ut in frgm. I. Athenaeus recte *βοᾶν καὶ κεκραγέναι* correptum furore amatorio poetam dixerit. Sed videamus, veteres qualia carmina Ibyco assignarint: in qua caussa et paucitas et tenuitas traditarum rerum dolenda est. Schol. Pind. Isthm. II, 1. *Ὅτι περὶ παιδικοῦ ἔρωτος ἦν τοῖς Λυρικοῖς ἡ τῶν ποιημάτων σπουδὴ, δημώδης ὁ λόγος. ταῦτα δὲ τείνει καὶ εἰς τοὺς περὶ Ἀλκαῖον καὶ Ἴβυκον καὶ Ἀνακρέοντα καὶ εἴ τινες πρὸ αὐτοῦ δοκοῦσι περὶ τὰ παιδικὰ ἠσχολῆσθαι.* Quae qui scripsit Scholiasta, solam Pindaricorum verborum spectavit explicationem: nam haudquaquam in carminibus amatoriis consenuisse Musam Ibyciam apparebit infra. Incertius etiam Schol. Ravenn. Ar. Thesm. 161., vol. II. p. 272. Bekk.

Ἴβυκος ὁ Ῥηγῖνος καὶ Ἀνακρέων ὁ ἀπὸ Τέω (αὕτη δὲ πόλις τῆς Ἰωνίας) καὶ Ἀλκαῖος ὁ Λέσβιος μέλη ἔγραψαν πρὸς λύραν. Eosdem triumviros summorum poetarum appellatione ornatos comprehendere vidimus Tullium. Negligentius alii Ibycum *μελοποιὸν*, *λυρικὸν* nuncupant: *μέλη*, *ᾄσματα* scripsisse testantur: quae quibus peculiaribus enituerint virtutibus nemo dignatus est tradere. Acquiescendum in eo, carmina longe fervidiora fuisse et flagrantiora, quam aliorum poetarum eroticorum. Ibycus quos praeceptores habuerit in hoc genere carminum, non legimus: vero videtur mihi simillimum, secutum eum *τὰ Λοκρικὰ ᾄσματα*, quae constat quam lasciva fuerint: ad Anacreontis et Sapphonis poemata proxime accessisse docet Clearch. ap. Athen. XIV. p. 639. A. De cujus indole poesis satis exposuit Koester. de cantil. vett. Graec. popularibus p. 57. Haec igitur carmina amatoria apud veteres maxime in pretio fuisse videntur.

Licet autem nemo veterum, quantum compertum habeo, disertis verbis Ibyciae poesis naturam perspicue declaraverit, tamen vestigiis quibusdam et testimoniis minus explicatis ducimur, ut aliam praeterea speciem carminum ab eo cultam intelligamus, quod judicium reliquiae carminum extra dubitationem ponunt. Nam ut primum levis armaturae copias in aciem producamus, quis est, qui juvenibus illa carmina amatoria in manus tradidisse

et explicuisse parentes sibi persuadeat? Lectum autem juvenibus fuisse Ibycum, fidem facit Stat. Silv. V, 3, 153. ubi dicit, patrem juvenes sibi traditos a parentibus docuisse

qua lege recurrat
Pindaricae vox flexa lyrae volucrumque precator
Ibycus, [11]) sqq.

Et si jure Wernsdorfius explevit lacunam Himer. or. XXIX, 3. »ornat et [Anacreon Teum et Ibycus Rhegium],« num urbis laudem patriae amatoriis carminibus comprehensam statuemus fuisse? Non ita videtur: sed huc revocanda tum alia videntur carmina, tum illud, quod in Dianae et Rhegii et in Ortygia eximie cultae honorem conscriptum fuisse suspicati sumus, v. frgm. XXXI. Pater Ibyco affictus, quem historicum prodiderunt, quo spectare videretur, rationem reddidimus supra. Neque ex amatoriis carminibus manasse potest illud ap. Ps.-Plut. de nobil. 2., Tom. XIV. p. 378. Hutt. *Ποσάκις παρὰ Σιμωνίδῃ, Πινδάρῳ, Ἀλκαίῳ, Ἰβύκῳ,* [12]) *Στησιχόρῳ ἡ εὐγένεια ἐν λόγου καὶ τιμῆς μέρει ἐστί;* in quae verba cfr. commentarios Wel-

11) Ita nunc sanissimus quisque legit. Vetera exemplaria turpissimum mendum obsedit *Obsitus;* Parmens. *Obsonus.* Propius ad verum accessit cod. Rehdig. ap. Sillig., qui habet *Obsicus.* Emendavit Canter. Nov. Lectt. I, 12. Sordes istas C. Barthio aliisque ap. Markland. remittimus.

12) Cod. *Ἰβρίῳ.* Correxit Wolfius.

cker. prolegg. in Theognid. p. XLIV sqq. Et si Epigr. in nov. lyr. Anth. Pal. IX, 571. Stesichorum et Ibycum ita componit:

Λάμπει Στησίχορός τε καὶ Ἴβυκος,

non apte ob eandem poesis virtutem uterque poterat collaudari, nisi ad eandem carminum speciem excolendam se applicuisset uterque. Amatoria autem carmina tametsi scripsit Stesichorus, tamen toto caelo ab indole Ibyciorum distabant neque adepta sunt celebritatem: heroici argumenti carmina lyricis astricta numeris famam viro circumdederunt nobilissimam. Ut vel ex hac compositione liceat suspicari, Ibycum idem genus carminum frequentasse. Id quod vere ita esse, alia certissime evincunt. Nam, quae gravissima caussa est, alias nunquam poterat in disceptationem venire, carmen aliquod heroico-lyricum Stesichorumne auctorem haberet an Ibycum: alias non haberemus, unde artum illum nexum, quem intercessisse inter utrumque poetam demonstrabimus, explicaremus; alias denique res mythologas, ex carminibus Ibyciis excerptas, non esset, unde in amatoriis infuisse carminibus diceremus.

Apparet igitur, his omnibus diligenter reputatis nec praetermissis iis, quae statim expondituri sumus, quam recte de Ibyciae poesis indole judicaverit Frid. Schlegel. hist. poes. Grr. et Rom. I. p. 224. Is enim poetam Rheginum amore vesanum non antiquas tractasse fabulas, non heroes

heroumque fortia facta statuit, sed in celebrando flore juvenum, gaudiis vitae, summo desiderii culmine et quae relicua momento temporis in animis hominum excitantur, sibi placuisse ait, unde p. 234. non poterat non ita decernere, ut Ibyciae poesis affectionem a Dorica gravitate aliquantum degenerasse arbitraretur.

Ut corroboremus ea, quae diximus, inquiramus necesse est in nexum illum Stesichorum inter et Ibycum. Si statum literarum et artium, qualis in vetustiore Graecia fuerit, consideramus, in iisdem regionibus eandem condicionem et literarum et artium fuisse elucet. Quae res quas caussas habuerit, non potest esse obscurum. A sedibus distinguuntur poetae epici, quorum alii Homericorum carminum indolem secuti in Asia minore et in insulis Ioniis florebant; in ipsa se fere Graecia continebant ii, quos a capite hujus tanquam scholae Hesiodios vocant, v. praeter alios Goettling. praef. Hesiod. p. XII sqq. Idemque in poetis lyricis licet observare, velut in Alcaeo et Sapphone Lesbiis, Simonide et Bacchylide Ceis. Quod quam late pateat, non minimum argumentum est, quod horum poetarum, quos altero loco posui, sententias saepius cum doctrina Prodici Cei, insula ob legum probitatem et sanctitatem morum maxime conspicua, conspirare, vel paucae hac horum triumvirorum reliquiae edocent, v. Welcker. de Prod. in Mus. Rhen. 1832, I. p. 21. Idem videmus in Ste-

sichoro et Ibyco, non illis quidem ejusdem urbis civibus, sed ex civitatibus tamen Chalcidensibus oriundis, licet utrique Doricae gentes admixtae fuerint. Stesichori tamen poesis et ipsa Italiam patriam videtur habuisse, qui genere Metaurinus fuisse dicatur, v. Steph. Byz. s. v. *Ματαυρός. Στησίχορος Εὐφήμου*[13] *παῖς, Ματαυρῖνος γένος, ὁ τῶν μελῶν ποιητής*: Suid. s. v. *Στησίχορος*: *οἱ δὲ ἀπὸ Μεταυρίας τῆς ἐν Ἰταλίᾳ*, scil. Catanam venisse volunt. Non procul a Rhegio Metaurus fuit; Mela II, 4. »In Bruttio sunt columna Rhegina, Rhegium, Scylla, Taurium, Metaurum,« cll. Morisan. Inscrr. Regin. p. 91. Habendum igitur oppidum in iis videtur, quae Rheginis *περίοικα* fuere, cfr. Strab. VI. p. 258. Cas. *περιοικίας ἔσχε συχνάς*, quales se non nosse dixit Rad. Rochett. hist. col. Gr. III. p. 281. — Aut igitur parentes Stesichori aut poeta ipse ex Italia secesserant Himeram paucis annis ante natales ipsius conditam, Ol. XXXII, 4., Thuc.

---

13) Eundem inter alios parentem Suidas nominat: in Euclide consentiunt auctores fide digni. Quorsum Euphemi nomen spectet, neglectus hic Platonis locus Kleinium poterat docere, Phaedr. p. 244. A., *ὃν μέλλω λέγειν* (sc. *λόγον*) *Στησιχόρου τοῦ Εὐφήμου Ἱμεραίου. Λεκτέος δὲ ὧδε, ὅτι, οὐκ ἔστ᾽ ἔτυμος λόγος*, quae ex palinodia excerpta sunt, v. Klein. Nam quum Helenam antea conviciis proscidisset, oculis captus retractavit quae effuderat. De qua re quum sermo incidisset, jocatus Socrates nomen parentis Euclidis immutavit ita, ut filii condicioni congruens esset.

VI, 5. Quum autem hereditario jure familia Stesichori poesin coluisse videatur, suspicari in proclivi est, ab antiquis temporibus id genus poesis, quod Stesichorum atque Ibycum exercuisse novimus, inter Italos floruisse.

Non vilipendendum est in hac parte hujus disputationis, quod Himer. orat. XXII, 5. memoriae tradidit. Postquam dixit, Stesichorum *μετὰ τὸ πάθος* (occaecationem intellige ob probra in Helenam conjecta, post palinodia sanatam, v. Klein. Stes. frgmm. p. 91.) pulsasse lyram, adjungit, Ibycum Catana profectum Himeram de curru dejectum manum contrivisse, ut per satis diuturnum tempus a pulsanda lyra abstinere necesse habuerit, lyram Apollini consecrasse. Idque fecisse putandus est, non quasi omnino cantui valediceret, sed ut Apollini, servatori suo ut poetarum praesidi, gratias ageret, quod non perpendit Wernsdorfius. Gravissimum nobis videtur, quod hae potissimum urbes Siculae longo intervallo dijunctae a poeta petitae dicuntur, quum utraque Stesichoriae poesis sedes fuerit, utraque Chalcidensibus habitata. Nam quod alii artificiosum monumentum sepulcrale Stesichori Himerae produnt fuisse, natali poetae urbe, idem alii Catanae defendunt exstructum, satis arguit, utriusque cives urbis sibi arrogasse Stesichorum, quod profecto non potuissent, nisi Stesichoria poesi utraque civitas nobilitata fuisset. In utraque certae quaedam videntur fuisse familiae,

quae hereditario jure artem poeticam ad festos dies concelebrandos compositam ex professo factitarent. Saepe autem sepulcra poetarum diversis locis vindicata indicant, poesin ipsorum iis locis esse cultam, cfr. Welcker. Jahn. Annall. philoll. 1829, I. 2. p. 137. Ibycus igitur quod has potissimum urbes invisisse traditur cum lyra, argumento est, idem genus poesis choricum coluisse et ipsum, quod in illis urbibus floreret. Omnino Chalcidenses poetica facultate studioque poetico ex vetustate temporum insignes, v. Hom. et Hes. certamen p. 243. Goettl. Neque vero repugnat huic Chalcidensi poesis origini, quod gens Ibycia Messenia videtur fuisse.

Jam minus errabimus in dijudicanda utriusque poetae conjunctione, quae quam arta obtinuerit, hinc licet colligere. Afferuntur primum ex utroque poeta vocabula quaedam novo plane et inaudito usurpata significatu, vel omnino rarissima, cfr. frgmm. XIII, L, LIII, quae res facilem explicatum habet ex cognatione poesis utriusque viri et ex patriarum urbium communione. Aliter se res habere videtur frgm. IX, ubi Etym. M. Rheginos ἄτερπνος dixisse loco voc. ἀτέρυπνος vult; Etym. autem Gud. fidem subjungit Ibyci et Stesichori. Et id quidem consentaneum est, Ibycum Rheginum civium suorum formae singularis testem citari: gravior Musa Stesichori vix formis popularibus locum in carminibus concessit, quod contra

Ibycum sibi indulsisse saepius videbimus. Stesichori memoriam eo repetendam duco, quod aliis locis Grammaticus eosdem consociatos viderat.

Est praeterea, ubi alii Stesichori fidem antestantur, ad Ibyci auctoritatem confugiunt alii, v. frgm. XIV, ubi pro Ibyco, Alexandro, Euphorione, Lycophrone, Tzetzes posuit Stesichorum, Alexandrum, Euphorionem. Sed hoc quivis videt, Schol. Homerici longe majorem esse auctoritatem, quam Tzetzae; cui homini quum Ibycus ignotior esset, ex Schol. Hom. Il. XXIV, 259., qui ad Stesichorum unum in eadem caussa provocat, notiorem sibi Stesichorum videtur substituisse. Ut uterque poeta ita decrevisse videatur. Similis error commissus est in Scholl. Ap. Rh. IV, 1213, ubi Corinthum Ephyram vocatam esse a filia Oceani et Tethyos, Epimethei uxore, Eumelo auctore docet Schol. vulg., cfr. Paus. II, 1, 1. Pro Eumelo in Scholl. Paris. Simonidis nomen comparet, quod quivis intelligit non pro mira varietate habendum esse cum Wellauero. Sed uterque poeta ita statuerat, unde junctim scribendum: *Εὔμηλος καὶ Σιμωνίδης*. Spectant autem haec, opinor, ad idem carmen, unde fluxit, quod Scholl. Eur. Med. 20. habent: *ὅτι δὲ καὶ ἐβασίλευσε* (sc. *ἡ Μήδεια*) *Κορίνθου, ἱστοροῦσιν Εὔμηλος καὶ Σιμωνίδης*. Cfr. Scholl. ad v. 1318. Simonidem autem intellige Lyricum, non Genealogum. —

Tertio loco consideremus eum locum, quem

in declarando poesis Ibyciae et Stesichoriae nexu summi momenti esse diximus. Ita enim scribit Athen. IV. p. 172. D. *Πεμμάτων δὲ πρῶτόν φησι μνημονεῦσαι Πανύασιν Σέλευκος, ἐν οἷς περὶ τῆς παρ' Αἰγυπτίοις ἀνθρωποθυσίας διηγεῖται, πολλὰ μὲν ἐπιθεῖναι λέγων πέμματα, πολλὰς δὲ νοσσάδας ὄρνεις,* 14) *προτέρου Στησιχόρου ἢ Ἰβύκου ἐν Ἄθλοις ἐπιγραφομένοις εἰρηκότος·*

Φέρεσδε τὰ παρθενόδωρα,
σασαμίδας χόνδρόν τε καὶ ἐγκρίδας,
ἄλλα τε πέμματα καὶ μέλι χλωρόν.

Ὅτι δὲ τὸ ποίημα τοῦτο Στησιχόρου ἐστίν, ἱκανώτατος μάρτυς Σιμωνίδης ὁ ποιητής· ὃς περὶ τοῦ Μελεάγρου λόγον ποιούμενός φησιν·

ὃς δουρὶ πάντας νίκασε νέους,
δινάεντα βαλὼν Ἄναυρον ὕπερ πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ.
οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς. 15)

ὁ γὰρ Στησίχορος οὕτως εἴρηκεν ἐν τῷ προκειμένῳ ᾄσματι τοῖς Ἄθλοις·

---

14) Panyasidis versum redintegramus in hanc speciem:
Πέμματα πολλ' ἐπέθηκε φέρων καὶ νοσσάδας ὄρνις.
Ὄρνις scripsi cum Steph., cod. C., Eust. p. 228, 24., cll. Schaef. Greg. Cor. p. 476. Vulgo *ὄρνεις*.

15) Ita saepe poetae recentiores ad vetustiores provocant, ut Pindarus ad Polymnestum, Sacadam; Hipponax ad Mimnermum, Plut. Mus. 6; 8., Pratinas ad Xenodamum, Plut. Mus. 9., quod argumentum accuratissime persequitur Welcker. de Thebaid. cycl. in Allg. Schulzeitg. 1832. mens. Febr.

Θρώσκων Ἀμφιάραος, ἄκοντι δὲ νίκασεν Μελέαγρος. 16)

Apud Klein. sunt frgmm. II, III; cujus in primo versu emendationem suscepimus, quum antea *παρθένων δῶρα* legeretur, metri simplicitatem perturbans. Fuerit autem sane illud carmen Stesichori; hoc neminem fugit, dubitationem omnino non potuisse locum habere, nisi Ibyci carmina Stesichoriis simillima fuissent vel argumenti delectu vel conformationis ratione. In nostro autem carmine dubitationem sitam censemus non in ignoratione, carmen illud utrum ab Ibyco profectum fuerit an ab Stesichoro, sed ita potius res dijudicanda videtur. Quum uterque poeta confecisset carmen eodem titulo ornatum, qui in ordinem redegerunt utriusque carmina, non satis poterant di-

---

16) Post *θρώσκων* vulgo inseritur *μὲν γάρ*; Klein. *ἄρ'* conjecit. Praestabilius videbatur istas voculas ut Athenaei additamentum poeta indignum secludere, quod suasit v. d. in Annall. class. Britann. 1823, 2, p. 216. — *Νίκασεν Μελέαγρος* Stephanus se emendasse ait quum antea vulgatum esset, quod codd. B. P. sistunt, *νικᾶς Ἐμμελέαγρος*, h. e. *νίκασεμ μελέαγρος*, ut olim scribi solebat. Qua ratione diligenter observata constat quot locis Pindarum emendarit A. Boeckhius; multis locis Aeschylus poterit restitui. Sed quod Meinek. Euphor. p. 187. ap. Aesch. Agam. 377. *παμμάταιον* scriptum conjicit pro *πᾶμ ματ.*, nervos dictionis Aeschyliae incidit. Nos ex hujus *ἀρχαιας σημασίας*, ut Aristarchus vocat, scrutatione hos locos Ibyci nobis correxisse videmur, frgm. VII, XIII, XXXIX, XLV, al.

stinguere, utrius tandem esset id, quod in manibus haberent, ipsa tractationis similitudine fallente. Quam nostram sententiam ut stabiliamus, videndum est, num ex vestigiis quibusdam Ibycum quoque ludos Peliae scripsisse eruamus.

Zenob. Provv. II, 45. *Ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἐπιδέχεται. ὁ Μίλων ὁ παροιμιογράφος Ἰβύκειον τὴν παροιμίαν ταύτην φησὶν, ὡς πρῶτον χρησαμένου τοῦ Ἰβύκου.* Quae praeterea frgm. XXIII adscripsimus, celebratissimum fuisse proverbium docent. Scholiasta autem Platonis p. 370. Bekk. *ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει· Αἰσχύλος δέ φησι Γλαύκῳ Ποτνιεῖ. Ἀγὼν γὰρ ἄνδρας οὐ μένει λελειμμένους.* Potniensis autem Glaucus fuerat inter ipsos certatores horum ludorum in Peliae institutorum honorem isque ab equabus in furorem exstimulatis discerptus, v. Hermann. de Aesch. Glaucis, Opuscc. II. p. 62. Quum autem istud Ibycium effatum vulgo tritum esset, certum puto, Aeschylum hanc sententiam ex carmine Ibycio easdem res complexo in suam fabulam derivasse, qui Ibycia carmina procul dubio in Sicilia cognosset. Forsitan de industria hominibus Siculis, inter quos Ibycum versatum vidimus, gratificaturus ita scripsit, quibus fabulam transmitteret. Ut similis sit res Pind. Ol. XI, 15, ubi Locrenses Epizephyrios poetica facultate excellentes laudaturus poeta suavissime alludit ad Cycnum, carmen Stesichori, cum Locrensibus conjuncti, quod egregie docuit Welcker. Jahn. An-

nall. l. c. p. 136. — Huc accedit, quod Argonauticas res Ibyco tractatas intelligimus ex frgm. XXI, ad quas pertinere etiam frgm. XXII conjecimus. Nisi forte et haec frgmm. et XXIII in ludis Peliae infuerunt.

Quantum praeterea ex reliquiis utriusque poetae judicare licet, et metra carminum simillima fuerunt, quae maximam partem dactylico tenore labuntur, et eadem fere argumenta utrique tractata; dialectus Dorica sapienter temperata utrique communis. Quibus rebus omnibus effectum est, ut scriptores veteres frequenter utrumque componerent. Posteriore tempore credibile est, utriusque poetae opera in unum volumen esse conscripta, quod de Ananii et Hipponactis carminibus, de quibus similes dubitationes agitatae videntur, non sine caussa suspicatus est Welcker. Hipp. et Anan. p. 109. Similis sors Simonidis et Bacchylidis carminibus obtigisse videtur, v. c. frgm. LXI. Neue —

Movit hanc quaestionem primus Neuius, in censura Stesich. Klein., Annall. literar. Berolinenss. 1829, nr. 91, 92., p. 731. Stesichori enim editor plane non attigit hanc rem, nisi quod pag. 6. ad definiendam Stesichori aetatem adhibet crebram cum Ibyco compositionem. At eam caussam ex aequalitate aetatis petitam, (et ne fuerunt quidem aequales, siquidem quum senex esset Stesichorus, in ipso flore aetatis constitutus erat Ibycus,) non sufficere in explicandis omnibus locis verissime no-

tavit Neuius, etiamsi ita expedire possis frgm. VI, ut Scholiasta similes scriptores sociaverit. Sed mirum esse addit, utrumque referri usurpasse χάρμη novo significatu, utrumque πηνέλοψ, βρυαλλίκται; mirum, neminem frgm. XIV Ibycum et Stesichorum conjunctos afferre; nec leve esse, dubitatum de auctore τῶν Ἄθλων. Ex quibus non reticet natam sibi suspicionem, Grammaticos carmina sine notitia auctoris transmissa certis auctoribus assignasse de suo, non discernentes acute inter utrumque poetam. Id si verum esse reperiretur, nec nostrae aetatis critico nefas esse, carmina anonyma ad certos adscribere auctores, ut haec quaestio ventilanda et in omnes partes accurate excutienda videretur.

Instituimus quaestionem, ut erat officii nostri: quo Neuius tendit, nobis non progrediendum esse rati sumus. Rariora vocabula usurpasse utrumque, mirum nobis non accidit, qui cognationem poetarum respiceremus: Stesichori mentionem perperam illatam judicavimus in eo fragmento, quod neque Kleinius tetigit neque Neuius: cur frgm. XIV Stesichorum et Ibycum conjunctos non deprehenderemus, ejus rei explicare studuimus rationem; in frgm. XXIII denique dubitationem illam Grammaticorum probabiliter puto diremimus. Alii aliter judicabant: nos nostra certe a probabilitate commendari existimamus. —

Quae carmina Ibyci ad Stesichoriorum normam

accedere videbantur, eorum quae supersunt fragmenta disposuimus ita, ut ad argumenta fabularum ordinem eorum et complexum dirigeremus. Sed quum, quod sciamus, nemo naturam et usum horum carminum singularium paullo curiosius excusserit, non defugiendus hic nobis labor videtur, quem ipsum hoc nostrum institutum injunxit.

Quo tempore in Graecia ipsa largus ille epicorum poetarum fons exarescebat et si qui pauci ei generi poesis operam navabant, a prisca illa simplicitate et ingenio vatis Homeri in dies degenerabant magis, in Graeca Sicilia exstitit Stesichorus Himerensis, — nam de iis, qui hunc antecessere, incerta omnia sunt, — qui et labanti jam epici carminis honori substrueret cum eodemque conjungeret id, quod indoles aetatis flagitabat, hoc est, ut argumenta epica lyricis modis exsequeretur, quo usui praesenti convenirent, v. Plut. Mus. 3. *Στησίχορος καὶ οἱ ἀρχαῖοι μελοποιοί, ποιοῦντες ἔπη, τούτοις μέλη περιετίθεσαν.* Sed quum ejusmodi carminum ne unum quidem ex communi Graecarum literarum naufragio servatum supersit, multae res non facile dispellenda obscuritate obteguntur. Quantum tamen vel ex nutu veterum extricari possit vel ex reliquiis carminum probabiliter extundi, experiemur. Sed quum non tam de Stesichoro meus sit scribere, quam ad Ibycum referre omnia, hanc veniam expetimus, ut quae de Stesichori carminibus, quibus Ibycia fuisse consimilia demon-

strare connisi sumus, narrantur, ad Ibycum liceat accommodare.

De Stesichoro ita Quintilian. Instt. orr. X, 1. 62. »Stesichorum quam sit ingenio validus materiae quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem, ac si tenuisset modum, videtur aemulari proximus Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiae vitium est.« *Maxima bella* cecinit et *clarissimos duces,* non aequalium, sed heroum, veluti labores Herculis, vastationem Trojae, Eriphylam, Cycnum, alia. *Lyra sustinuisse onera epici carminis* scribit Quintil., quandoquidem magnum quid erat, ea lyrae modis adaptari, quae ab epicis poetis heroici carminis aequabili tenore tradita essent. Nam quum reliqui poetae Lyrici modice mythis uterentur ad extollendum splendorem rerum praesentium, Stesichorus eos pro fundamento carminum posuit. Unde factum est, ut Stesichoria carmina proxime ad naturam τῶν ἐπῶν accederent; quae quo ambitu fuerint, Oresteae docet memoria, in duos divisae libros, v. Klein. frgm. XXXVIII, quam amplitudinem alia quoque carmina aequasse videtur consentaneum, ut Ἰλίου περσίδα. Quum autem haec poesis ex epici carminis stirpe pullulasset tanquam germen, non mirandum est, in aliis quoque rebus non magnum

discrimen inter utramque intercessisse: loquentes inducuntur personae, ut ab epicis poetis, ita ab Ibyco, v. frgmm. XXVII, LIV; de Stesich. v. Quintil.; numeri fere dactylici, supra heroici carminis mensuram non raro exuberantes; dialectus servata epicorum, admixtis formis Doriis, ut par erat, a choricis poetis Doriensibus; vel ipsi tituli carminibus praefixi similitudinem heroici carminis evincunt, uti *Ἰλίου πέρσις, Γηρυονηΐς, Κύκνος, Ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ* (cll. Hom. Il. inscriptione libri XXIII. *Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ*). Unde explicatur, cur veteribus Homeri simillimus visus sit, v. Klein. p. 32 sq. Illud per accidit mirum, quod Ibyciorum carminum ne unus quidem titulus, quod quidem compertum habeam, proditus est a veteribus: quum ejus carmina septem libris comprehensa tradantur fuisse, Stesichoria autem viginti sex compleverint, statuendum videtur, neque tam multa neque tam ampli ambitus carmina Rheginum pepigisse, modo in dispescendis carminibus operam suam eodem fine moderati sunt Grammatici.

Licet tamen his praedita virtutibus carmina Ibyci et Stesichori ad heroicorum naturam carminum aspirarent, tamen erat, quibus ab illis recederent non leviter. Ut mirifice falsi sint, si qui de Stesichoro epico cogitant, uti Mohnikius fecit, in hist. lit. Gr. p. 303. Nam *Ὅμηρος μὲν ἔπη ἐποίει, Στησίχορος δὲ μελοποιὸς ἦν*, verba sunt Dion. Chrys. II. p. 284. Erant enim haec carmina non ad res

priscas tradendas composita, sed usui praesenti destinata; non ab uno ἀοιδῷ vel ῥαψῳδῷ decantabantur, sed choro agebantur saltanti, unde in strophas, antistrophas et epodos divisa erant: metra licet originem poesis haud dubie prodant, lyrica; sermo denique ipse et verborum junctura ad Pindari magnificentiam paullatim surgebat.


Sed perdifficilis se offert quaestio, quibus tandem rebus incitantibus confecta in quem usum consignata illa carmina fuerint. Victoribus ludorum celebrandis non poterant esse scripta: quae carmina licet mythorum usum flagitarent, delectu tamen opus fuit neque ea duorum librorum mensuram recipiebant. Quare qui Pindari carmen Pyth. IV. pro exemplo Stesichoriorum carminum voluerunt haberi, recte illi quidem, si fabularum expositionem spectarunt diductiorem; sin Stesichoro idem consilium fuisse sibi persuaserunt, in maximo errore versantur. Et tamen lyricus poeta opus habebat et occasione, qua ad scribendum compelleretur et fine, ad quem omnem operam suam conferret. Eamque et occasionem et finem non privatum quendam fuisse sed publicum, in rei ipsius ratione et in natura horum carminum positum est. Falsissime enim Klein. Stesich. p. 53. statuit, Stesichorum carmina heroico-lyrica in festis conventibus ad lyram cecinisse; quanquam posteriore tempore a singulis decantabantur, v. Andronic. περὶ τάξ. ποιητῶν in Bekk. Anecdd. Grr. p. 1461. γνώρισμα

λυρικῶν ποιητῶν τὸ πρὸς λύραν τὰ τούτων ᾄδεσθαι μέλη, ὡς τὰ τοῦ Πινδάρου καὶ Στησιχόρου καὶ Ἀνακρέοντος καὶ Ἀλκμᾶνος, Ἀλκαίου, Βακχυλίδου, Σιμωνίδου, Ἰβύκου, καὶ τὰ τῆς μουσικωτάτης Σαπφοῦς. In veterum silentio circumspiciendum est, num quid in carminum reliquiis insit, quod ad veritatem indagandam perducat. Servavit haec ex Orestea Stesichori Scholiast. Arist. Pac. 797. *ἔστι δὲ παρὰ τὰ Στησιχόρου ἐκ τῆς Ὀρεστείας·*

Τοιάδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων ὑμνεῖν,
Φρύγιον μέλος ἐξευρόντα
ἁβρῶς, ἦρος ἐπερχομένου. 17)

Videtur haec versuum complexio ita comparata fuisse, ut certis intervallis recurreret. Docent autem verba, publice carmen fuisse cantatum: teste enim Schol. *δαμώματα* sunt *τὰ δημοσίᾳ ᾀδόμενα.* Uti Pindar. Isthm. VII, 8. *παυσάμενοι δ' ἀπρήκτων κακῶν — γλυκύ τι δαμωσόμεθα καὶ μετὰ πόνον.* Carmen *δημοσίᾳ ᾄδεται,* quum juvenes in vestibulo

17) Ita hos versus Phrygio modo cantatos a Kleinio frgm. XXXIX non recte descriptos, dispescendos esse, me docuit *C. O. Muellerus.* Schema hoc est:



Ἐξευρόντα emendavit vir illustriss., quum *ἐξευρόνθ' ἁβρ.* legeretur; Kleinius quo pentametro succurreret, *ἐξευρόντας* conjectaverat; *ρόντα* est trochaeus semantus; *ἁβρῶς* orthius.

stantes Cleandri civis sui, sodales victoris, cantum ordiantur. - Ut nesciam, qualem sibi Stesichoriorum indolem carminum animo informaverit Herm. Koester. qui de cantilen. vett. Gr. popularibus p. 6. *τὰ δημοσίᾳ ᾀδόμενα* nihil velit significare aliud, quam *ludicra, παίγνια,* coll. Schol. Ar. Lysistr. 700. Praeterea edocemur, Phrygia melodia compositam fuisse Oresteam. Phrygia autem melodia quum esset religiosa aptaque, ut ait Proclus, *εἰς ἱερὰ καὶ ἐνθεασμοὺς, ὡς ἐκστατική,* v. Boeckh. metr. Pind. p. 239., Pindarum in epiniciis ea uti non potuisse apparet, v. Thiersch. Pindar. I, praef. p. 44. Convenit autem, ubi festum aliquod celebrabatur sub dio redeunte vere, quum in summam laetitiam animi hominum effunderentur. Habebantque fata Orestis et facinus *μητρόκτονον,* quod hominum animos gravius permoveret.

Sed digitum intendere videntur verba ultima *ἦρος ἐπερχομένου* eo, quo volumus. Cur enim vere appropinquante Oresteam cantatam dicamus? In Sicilia magnaque Graecia coloni Graeci eximio cultu prosequebantur multos heroes, qui in erroribus eo perlati ferebantur, veluti heroes Trojani, Hercules, Argonautae aliique non pauci. Quibus *ἐναγίσματα* offerri solita docet Pseud. - Aristot. mirabb. auscultatt. 114. *Ἐν Τάραντι ἐναγίζειν κατά τινας χρόνους φασὶν Ἀτρείδαις καὶ Τυδείδαις καὶ Αἰακίδαις καὶ Λαερτιάδαις. καὶ Ἀγαμεμνονίδαις δὲ χωρὶς θυσίαν ἐπιτελεῖν ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἰδίᾳ,*

ἐν ᾗ νόμιμον εἶναι ταῖς γυναιξί, μὴ γεύσασθαι τῶν ἐκείνοις θυομένων. ἐστὶ δὲ καὶ Ἀχιλλέως νεὼς παρ' αὐτοῖς. Qualia *ἐναγίσματα*, de quibus Heraldum ad Arnob. VII. p. 278. disseruisse annotavit Beckmann. in Arist. l. c., non unum Tarentum habuisse, certissimum est. Veluti Metaponti *ἐναγισμὸς* Nelidarum fuit, Strab. VI, p. 263, Cas.; Philoctetam coluerunt Sybaritae, v. Arist. mirabb. auscc. 115., Tzetz. Lycophr. 927., Justin. XX, 1. Heroes autem quoniam cum Diis inferis arto nexu ligatos esse communi Graecorum religione receptum erat, redeunte vere celebrabantur, quo tempore Dii inferi et heroes flores et divitias generi humano remittere credebantur. Tunc circa tumulos heroum juvenes virginesque certabant neque cantus chori defuisse videri debent. Velut Theocr. XII, 30. de Diocle Atheniensi, Megaris sepulto:

αἰεί οἱ περὶ τύμβον ἀολλέες εἴαρι πρώτῳ
κοῦροι ἐριδμαίνουσι φιλήματος ἄκρα φερέσθαι,

de quibus ludis dixit Boeckh. Expll. Pind. Ol. VII, 157. p. 176. Jam si reputamus, fere omnes urbes magnae Graeciae, multas Siciliae, origines ad heroes solitas esse referre, si in ludis illis urbium conditoribus celebratis haec carmina choro cantata ponimus, intelligitur, cur heroes potissimum eos, quos expeditio Trojana nobilitavit, hi poetae ornandos susceperint. Alia fortasse locum habebant in diebus festis *τῶν ἀρχηγέτων* in honorem institutis, quibus in censum heroum receptis celebrari

solebant ludi, uti Tlepolemo Rhodio, Pind. Ol. VII, 77., Herod. VI, 38., Thuc. V, 11.

His igitur, ut in re dubia, non tam explicatis quam breviter perstrictis videamus, quid ex Ibyciis carminibus huc pertineat; Stesichorum enim in praesens mittimus. Ad res Troicas, quas Ibycum, uti Stesichorus fecit in *Ἰλίου περσίδι* aliisque carminibus, singulatim cecinisse consentaneum est, haec referenda putavimus. Tydei filium *Diomedem*, quem Troicis potius accensendum duximus, quam Aetolicis, celebravit frgm. XIX, qui cum Tydidis colebatur Tarenti; heros divinus per omne Italiae inferioris litus summis affectus honoribus Hermiona ducta cum Dioscuris Deorum inseritur numero, frgm. XX; *Achilles* in Elysio *Medeam* ducit, frgm. XVIII. Qualia autem poeta de Diomede et Achille praedicavit, in sacris illis heroibus factis aptissima videntur fuisse, quo intelligerent homines, heroes illos divinos dignos esse tantis honoribus. *Ulixes* autem, v. frgm. XVII, et in Sicilia et in Italia multum vagatus ferebatur; Tarenti cultum vidimus. *Menelaus* frgm. XVI comparet: Agamemnonidis autem atque Atridis solemni ritu sacrificia oblata Tarenti docuit Pseudo-Aristoteles. De *Hectore* Trojano v. frgm. XIV; de *Cassandra* frgm. XV.

In relicuis heroibus Ibyco celebratis illud certe non indignum videtur observare, quod fabulae veteres, hominibus illis sancte creditae, illos Italiam

attigisse ferebant. Veluti *Herculem* et Stesichorus et Ibycus magna cura praedicarunt, quem Italiam adisse ibique multa facinora perfecisse perhibebant, v. Pseud.-Arist. mir. ausc. 100. *λέγουσι δὲ πολλαχοῦ τῆς Ἰταλίας Ἡρακλέους εἶναι μνημόσυνα ἐν ταῖς ὁδοῖς, ἃς ἐκεῖνος ἐπορεύθη*, cll. c. 101. De cultu Herculis apud Tarentinos et Crotoniatas cfr. Muell. Dorr. I, p. 448 sq. Quum boves abegisset Geryonis in Italiamque inferiorem pervenisset, *ἀπὸ Ῥηγίου εἷς ἀποῤῥήγνυσι ταῦρος καὶ ταχέως εἰς τὴν θάλασσαν ἐμπεσὼν καὶ διανηξάμενος εἰς τὴν Σικελίαν, ἦλθεν εἰς πεδίον Ἔρυκος* et quae sqq., Apollod. II, 5, 10; cll. Hellanic. ap. Dionys. Hal. I, 35. Quam expeditionem uti Stesichorus exornavit in Geryoneide, ita Ibycum Herculea tentantem hoc vix praetermisisse videtur probabile, quum circa ipsam patriam poetae res accidisse diceretur. Rettulimus huc frgm. XXIX; de Augia si quis dictum censuerit, non astipulamur, quoniam ejus non solum armenta abegit, v. Pind. Ol. XI, 43.

ὁ δ' ἄρ ἐν Πίσᾳ ἔλσαις ὅλον τε στρατὸν
λαίαν τε πᾶσαν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς sqq.

Sed nolumus cumulare plura, quibus suspicionem nostram non vanam atque inanem esse demonstremus. Modo illud obtineamus, publice haec carmina cantata fuisse choro saltanti in festis vel Deorum vel heroum. —

Quo autem nomine appellentur haec Stesichori et Ibyci carmina, ambigitur. Nobis quidem tutis-

simum visum est, heroico-lyrica vocare sive epico-lyrica. Nam quominus Welckero Append. Trilog. Aesch. p. 245, cens. Stesich. Klein. p. 166. assentiamur, qui tragoedias lyricas appellandas censuit, multa sunt in mora. Cavendum enim est, ne commisceantur ea, quae argumento similia, discrepabant et tractatione et fine. Illae tragoediae lyricae, de quibus denuo dixit Boeckh. Corp. Inscr. I. p. 765, Orchomeni singulis tragoedis recitabantur, haec carmina choro apta: illa ad Dionysum pertinebant, haec non item: illae in ipsa Graecia natae et excultae, haec carmina in una Italia et Sicilia apud Chalcidenses et Locrenses efflorueruut. Nam de Sacada Argivo res incerta est. Quare qui dithyrambos vocarant carmina Xenocriti Locrensis, cujus *ᾄσματα* Stesichoriis simillima fuisse videntur, v. Plut. Mus. 10. *ἡρωϊκῶν ὑποθέσεων πράγματα ἐχουσῶν ποιητὴν γεγονέναι φασὶν αὐτόν· διὸ καί τινας διθυράμβους καλεῖν τὰς ὑποθέσεις;* illa igitur carmina qui dithyrambos vocarunt, diversa genera poesis lyricae confundebant. Veteres communi *ᾀσμάτων, μελῶν* nomine Stesichori et Ibyci carmina comprehendere solebant. Ceterum quod Welcker. l. c., Klein. Stes. p. 87. mirabile dixerunt, nihil omnino de sectatoribus Stesichori tradita legi, forsitan nunc aliter judicabunt. —

Ut perspiciatur, quomodo in mythis usurpandis versatus sit Ibycus, paucis comprehendemus,

quae in frgmm. explicandis eo potissimum instituto ascripsimus, ut de Ibyci ratione tractandi fabulas recte liceret judicare. Rem in universum aestimanti poeta permulta arripuisse videbitur a vulgari fama abhorrentia et nova. Exponemus haec eo ordine, primum ut loquamur de iis, a quorum narratione pependit; altero ponamus loco, quae novavit; denique qui Ibyci auctoritatem secuti sint scriptores enumeremus.

Hymnus Homericus in Venerem in consociandis Ganymede et Tithono ansam videtur dedisse, v. frgm. V. Hesiodum sequitur frgm. X; in Molionidarum figura et matre, frgm. XXVII. Cyclicorum vestigia poetarum pressisse saepius videtur; Leschem probat frgm. XVI. Ex Cypriis Stasini forsitan hausta erant, quae tradiderat de Cassandra, v. Procl. p. VIII., cujus nomen Homero ignotum fuisse annotant Scholl. Victor. ad Il. XXIV, 699. Neque Ibycum debebat praetermittere Lobeck. Aglaoph. I, p. 269., neque Stesichorum, quem facinus Ajacis Oilei commemorasse in *Ἰλίου περσίδι*, fidem facit tabula Iliaca. Praeterea v. ad frgm. XX. A Stesichori narrationibus fabularum saepe numero stetisse consentaneum est, veluti in Hectore, filio Apollinis, frgm. XIV; cll. frgm. XXIII.

Plura sunt, quae novasse poeta Rheginus vel disertis testimoniis traditur, vel ignotos nobis fontes secutus repraesentavit. Illuc spectat frgm. XVIII de Medea et Achille in Elysio conjugatis: ad al-

teram partem spectant frgm. V, de habitaculo Deorum; frgm. XX Diomedes et Hermiona; frgm. XXVII de ouo argenteo Molionidarum; frgm. XXII de Orpheo socio Argonautarum. In ejusmodi rebus, quales frgm. XXI, XXVIII habet, difficile est dictu, utrum vetustiores poetas famamque popularem adoptaverit, an fingendi licentiae se commiserit. Sunt autem, quae primus ex rumore populi et fabulis domesticis in carmina sua transtulerit, veluti frgm. XXXVIII fabulam de dipsade; frgm. XXXI de phiala Olympia atque Arethusa; frgm. XXX de Vulcano, auctore calidorum lavacrorum, Herculi ministratorum; frgm. XXXV de Sicyone Sicyoniique originibus Asopi. Haec in tam tenellis frustulis satis multa insunt singularia, quae desiderium poetae non tam explent, quam suscitant.

Pronum est suspicari, secutos Ibycum eos potissimum esse poetas, qui in Sicilia Italiaque vixerunt. De Dinolocho comico v. frgm. XXXVIII, de Simonide frgm. XVIII, de Aeschylo frgm. XXIII. Nam Thespis, qui et ipse in fabula, quae ἆθλα ἢ φορβὰς inscripta fuit teste Suid. s. v. Θέσπις, Glauci Potniensis fatum persecutus erat, neque Stesichorum videtur cognitum habuisse neque Ibycum. Pindarum frequentius poetae nostri narrationes secutum ostendunt fragmm. VII, XXII, XXVII, XXXI. Mitto Sophoclem, Euripidem, Aristophanem, de quibus minus testata res est. Quum

autem multa singulariter narrasset, cupide ea venati sunt ii poetae, qui rara et minus vulgaria undique constipasse in maxima felicitatis parte ponerent, Lycophronem dico, frgmm. XIV, XVIII; Euphorionem et Alexandrum Aetolum frgm. XIV; Apollonium Rhodium, frgm. V, XVIII, cfr. Weichert. de vit. et scrr. Ap. Rhod. p. 222. Eaque res in caussa videtur fuisse, cur scriptores historiarum mythicarum, adhaerentes illi mythorum narrationi ei, qualis communi persuasione probata erat, pauca poetae Rhegini in rem suam convertere potuerint. Neque certum est, num Timaeus sua ex Ibyco hauserit in frgm. XXXI. —

Artificibus rarius exemplar videtur fuisse, quam Stesichorus; vestigium frgm. XVI. De Stesichoro, cujus Hercules, qualem monumenta artis vetustissima jam exhibebant, postea vulgo receptus est, quaedam enumeravit Neuius cens. Stes. Klein. l. c. Nunc addere licet novum exemplum. Actaeon enim a Diana ex mente Stesichori pelle cervina circumdatus, ut morsibus canum dilaceraretur, v. Paus. IX, 2, 3., Klein. frgm. XVII, eodem habitu nuper repertus est Selinunte, ornamentum templi, v. Schorn. schedae artt. 1832, nr. 34.

Stesichorus atque Ibycus quum ea argumenta tractassent, in quibus illi poetae epici, qui post Homerum floruerunt, maxime versati erant, multa eos ab his poetis suscepisse, in natura ipsius rei positum est. Quorum pars quum res non tam

simplices quam mirabiles; non antiquitus creditas, sed novas ipsaque novitate placituras consectarentur, non mirum accidit, quod et Stesichorum et Ibycum ad fabulosa proniores fuisse reperimus. Exempla autem complura supra allata docent, multa eosdem ex fama populari derivasse in carmina. Neque difficile est exputare, cur hoc fecerint. Poetae enim Lyrici eorum indoli congruenter scribere solent, inter quos aetatem degunt. Progressu autem aetatis quum fabularum species paullatim immutari demendo, addendo, exornando soleat, id quod maxime in coloniis Graecis Siculis atque Italis evenisse intelligimus, non debet mirum videri, hos poetas multa popularium fabularum commenta eaque populari fide recepta carminibus inserere non detrectasse. Neque vero veterum fabularum religionem in animis hominum tunc jam ita exstinctam crediderim fuisse, ut his poetis temere licuerit in fabulis narrandis grassari. —

Integra Ibyci carmina quum barbaries saeculorum absumpserit, tum in aliis rebus, tum in dialecto poetae relicuisque elocutionis virtutibus certius definiendis nostra a veteribus magistris apta debet esse sententia. De dialecto poetae haec scripsit Joannes Gramm. ap. Aldum Hort. Adonid. p. 243. b. *διαφέρει δὲ ἡ τῶν Κρητῶν διάλεκτος, ᾗ νῦν κέχρηται Κυψέλας, καὶ ἡ τῶν Λακώνων, ᾗ κέχρηται Ἀλκμάων* (v. Welcker. Alcm. reliq. p. 14.), *καὶ ἡ τῶν Συρακουσίων, ᾗ κέχρηται Σώ-*

φρων. ἡ μέντοι Πινδάρου καὶ Ἰβύκου καὶ Σιμωνίδου καὶ Βακχυλίδου παντελῶς ἀνεῖται, διὰ τὸ μὴ Δωριεῖς εἶναι τῇ φύσει τοὺς ποιητὰς, χρῆσθαι δὲ μόνῃ (scr. *μόνον*) *τῇ διαλέξει;* quae verba emendatiora fecere Interpp. ad Greg. Cor. p. 371 sqq. *Δωρίδι διαλέκτῳ* usum eum Suidas scribit cum eoque Eudocia; *Δωρικὸν ἁρμονίην* Epigr. in nov. lyr., idque de dialecto accipiendum est. Dorica dialecto scripsisse Alcmanem, Stesichorum, Ibycum, Bacchylidem, Epicharmum testatur Gramm. Leidens. in Greg. Cor. p. 635. Schaef., sapienter addens: *ἡ δὲ χρῆσις αὐτῆς κατὰ διαφορὰν θεωρεῖται.* Joannes hoc dicit: hi poetae non pura puta dialecto popularium, ut illi, usi sunt, sed quoniam stirpe non erant Dorienses nec usurparunt puram dialectum Doricam, omnino non certo constitui dialecti ratio potest; sive, ut cum Schaefero loquamur ad Greg. Cor. p. 373., soluta omni vinculo *ἰδιότητος τοπικῆς* dialectus. Recte quidem Grammaticus: fundamentum dialecti sermo erat Epicorum poetarum, cui admiscebant ad colorem orationis augendum exaggerandumque modice formas Doricas, lyricae poesi suetas, v. quae circumspecte disseruit Fr. Jacobs. praef. Anth. Pal. Tom. I. p. XL sqq. Unde erant, qui communi dialecto usos dicerent, cfr. Hermann. Opuscc. I. p. 246. In eo tamen non satis accurate locutus est, quod Ibycum pro Ionico habuit, sive ob commorationem Samiam, ex qua probabile est amatoriis potissimum carminibus Io-

nicae nonnihil dialecti adhaesisse, sive quia Rhegium incolas habuit et Doricae et Ionicae stirpis. Aliter sensisse videtur Greg. Cor. p. 371, qui cetera Joannem exscribens omisit Ibycum. Uti enim teste Thuc. VI, 5. Himerae a Chalcidensibus et Syracusanis conditae mixta dialectus fuit, ita Rhegina ex sermone Chalcidensium Messeniorumque ita conflata videtur fuisse, ut haec pars praevaleret. Diversam tamen Ibyci dialectum fuisse pro diversitate carminum, non licet addubitare, sicut nec Pindarus nec tragici poetae easdem ubíque formas usurparunt. V. quae diximus ad frgm. XL. Unde fit, ut in singulis ambigua res sit. Nos librorum fidem religiose sumus secuti. Quare illis jubentibus ut *μᾶλα*, *μαλίδες*, *τᾶμος*, *φᾶμις*, *στεροπᾶς*, *ἅ*, retinuimus, ita renuentibus iisdem *κῆπος* et *ἡμετέρας* non sumus ausi deserere. Ita et *ποτί* habet et *πρός*; *κόρους* et *κούρα*. Semel habet *θαλέθοισιν*, de qua forma egit Boeckh. nott. critt. Pind. Ol. II, 78.; *πέδα*, *Ὄρφης* et *Τυδέος* a nomin. *Τυδεύς*; *Οὐλίξης* ex dialecto Siculorum Doriensium videtur recepisse; apud eosdem *ῥέξαι*, *ῥέγμα* (frgm. XLVIII) in consuetudine fuisse loco voc. *βάψαι*, *βάμμα*, hic locus docet Phot. Pors. p. 485, 16. *ῥέξαι· ποιῆσαι*, *πρᾶξαι*. *Ἀθηναῖοι δὲ θῦσαι*. *παρ' Ἐπιχάρμῳ δὲ βλάψαι*. Emendamus enim certissime *βάψαι*. Cum Epicharmo etiam *ὤεον* habet commune. Interioris Dorismi nullum exstat vestigium: ab epicis poetis sumpsit *Θρηΐ-*

κιος, *Ἔρος*, *πάρ*, de quo v. intpp. Greg. Cor. p. 208., genit. exeuntem in *οιο*, non in *ω*, et quae sunt relicua.

Paucissima sunt, quae de dialecti Rheginorum ratione apud Grammaticos sparsa reperiuntur; quae breviter complectemur, quum non dubitandum videatur, quin, si pleniores haberemus Grammaticos, Ibycum pro auctore hujus illiusve formae citatum legeremus. Ut enim, ubi Aeolensium dialecto aliquid proprium fuisse dicitur, alii ad Alcaeum Sapphonemve provocant, ita in Rheginis et Ibyco accidisse videmus frgm. IX. Ex inscriptionibus, quae apud Morisanum Inscrr. Regin. collectae exstant, nihil proficitur, quum paene omnes recentiorem aetatem praeferant: antiquior una pag. 59. *ὁ δᾶμος τῶν Ῥηγίνων* exhibet. Etym. Gud. p. 215, 26. *ἐτώσιον* descendere ait ab *ἔω*, *ὑπάρχω*, *ἐτὸς ὁ ἀληθὴς καὶ μετὰ τοῦ στερητικοῦ α ἀετός. ἡ εὐθεῖα τῶν πληθυντικῶν οἱ ἀετοί, τῶν ἀετῶν, ἀετώσιος καὶ ἀφαιρέσει ἐτώσιος. Κανὼν γάρ ἐστιν ὁ λέγων· αἱ ἀπὸ γενικῶν πληθυντικῶν γενόμεναι παραγωγαὶ διὰ τοῦ ιος διχῶς σχηματίζονται, διὰ τοῦ σ καὶ τοῦ ν. καὶ ἡ μὲν τῶν Ῥηγίνων διάλεκτος διὰ τοῦ σ, ἡ δὲ τῶν Αἰολέων διὰ τοῦ ν· οἷον ἑλίκη, ἑλίκης, ἑλίκων, Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα.* Eadem fere Etym. M. p. 387, 49. Locus Homeri est Il. XX, 404; in quem haec est annotatio Schol. B., Villoison.: *οἱ Αἰολεῖς παρὰ τὰς γενικὰς τῶν πρωτοτύπων ποιοῦσι κτητικοὺς τόπους.*

Ἑτερῶν, ἑτερῶνος, ἑτερώνιος, ἀνεμώνιος, ἑτοιμώνιος, Ἑλικώνιος. τὰ δὲ διὰ τοῦ ιος, εἰ μὲν τὸ πρωτότυπον εἰς ος ἔχει, διὰ τοῦ ησιος, Ἴθακος, Ἰθακήσιος, βροτήσιος. εἰ δὲ τρέποιτο η τοῦ πρωτοτύπου εἰς α παρὰ Δωριεῦσι, διὰ τοῦ α, πρυμνάσιον, Κορυφάσιον. οὕτως ἔχει καὶ τὸ Κοράσιον, ὃ μᾶλλόν ἐστι Μακεδονικόν. — Etym. Gud. p. 73, 44. ἔθος ἐστὶ τῶν Ῥηγίνων διαλέκτῳ, τὸ ι τρέπειν εἰς ν, τὸ γὰρ σπείσω σπένσω λέγουσι καὶ τὸ ἔνδοι ἔνδον. καὶ τὸ ἐρεβεινὸς ἐρεβεννὸς, ὅπερ ἀπὸ τοῦ ἔρεβος, οὕτω καὶ ἀπὸ τοῦ ἀργεινὸς ἀργεννός. οἱ δὲ Σικελοὶ τὸ ἐναντίον. τὸ γὰρ σπένσω σπείσω λέγουσι καὶ τὸ οὐ μέντον οὐ μέντοι. Ita enim corrigenda fuerunt, quae vulgo sensu cassa circumferebantur σπείδω, σπένδω; σπένδω, σπείδω, praeeunte Mueller. Dorr. II, p. 519. Dorienses non reformidarunt hunc consonantium complexum, v. exempla ap. Mueller. l. c. Cum Rheginis formam σπένσω communem habuisse dicuntur Cretenses atque Argivi, cfr. Herodian. in Ald. hort. Adon. p. 409; Eustath. Il. VIII, p. 722, 60. Rom.; iidemque cum iisdem οὐ μέντον, v. Heraclid. ap. Eust. l. c. p. 722, 58. De formis ἐρεβεννὸς, φαεννὸς rell. dixit Boeckh. nott. critt. Pind. Ol. I, 6, de metr. Pind. p. 292; de ἔνδον Apollon. Alex. de adverbb. in Bekk. Anecdd. p. 609, 32; 610, 13. Quae omnia a Messeniis Rheginos accepisse certissimum est, cfr. Mueller. Dorr. II, p. 530.

Ex eodem fonte profluxit, opinor, idioma late

patens et Ibycum propius tangens, *σχῆμα Ἰβύκου* vel *ἰβύκειον* vocatum veteribus, haustum illud ex sermone popularium suorum Rheginorum. De quo argumento locum Heraclidis Grammatici, qui primarius est, apponam integrum. Is ita tradit ap. Eustath. Odyss. VII, 197., pag. 1576, 56. Rom. *Ἰστέον, ὡς εἴπερ μὴ ἐγράφετο Κατακλῶθές τε βαρεῖαι, ἀλλὰ κατακλώθησι βαρεῖα, ἦν ἂν τὸ ῥῆμα Ῥηγίνων διαλέκτου, οἳ καθ' Ἡρακλείδην τὰ τρίτα τῶν ὁριστικῶν περισπωμένων τῆς πρώτης συζυγίας καὶ τῶν βαρυτόνων δὲ ῥημάτων κατὰ τὸ ἑνικὸν εἰς τὴν σι συλλαβὴν περαιοῦσι τοῦ η παραλήγοντος. τὸ γὰρ φιλεῖ καὶ νοεῖ καὶ λέγει καὶ φέρει, φίλησι, φησί, καὶ νόησι καὶ λέγησι καὶ φέρησι. τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ Λαμπρὸν παμφαίνησι παρ' Ὁμήρῳ* (Il. V. 6.), *ἅπαξ, φησί, χρησαμένῳ τῇ διαλέκτῳ ἐπὶ τούτου. καλεῖται δὲ καὶ τὸ σχῆμα Ἰβύκειον ὑπὸ τῶν γραμματικῶν διὰ τὸν μελοποιὸν δηλαδὴ Ἴβυκον, φιληδήσαντα τοιαύτῃ γλώσσῃ. εἰ δή, φησι, καὶ τὸ ὦ, τουτέστιν ὑπάρχω, πρώτης ἐστὶ συζυγίας κατὰ τὸ φιλῶ, καί ἐστι τρίτον αὐτοῦ εἶ, δωριζόμενον κατὰ Ῥηγίνους γένοιτ' ἂν ὁμοίῳ λόγῳ ἐκ τούτου ἦσιν ὁ ἐνεστώς. Ἰστέον δὲ, ὅτι οὐ περὶ τρίτων αὐθυποτάκτων ἐστὶν ὁ λόγος, ὁποῖον τὸ λάβῃ, λάχῃ, ἐξ ὧν λάβῃσι, λάχῃσιν·* — id non acute discrevit Pseud.-Plut. vit. Hom. p. 288. 89. Gal. — *αὐτὰ γὰρ καὶ ὅσα τοιαῦτα, οὐ Ῥηγίνων εἰσίν, ἀλλὰ Ἰώνων.* Compilavit Varinus Eclog. p. 308, cll. p. 339. Dindorf.

Perspexit Heraclides verissime, hanc Rheginorum *γλῶσσαν* indicativum modum esse. Falluntur enim egregie, qui de schemate cogitant, ut conjunctivus locum occupaverit indicativi modi; ipse se passus est induci Eustathius, qui *τὸ σχῆμα* ab Grammaticis *Ἰβύκειον* appellari narrans oblitus est addere, illos Grammaticos non consensisse cum doctrina Heraclidis. Grammaticus in Etym. M. p. 650, 56. *παμφαίνησι, ἔχησι* (frgm. Ibyci XV.) *καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχει τὸ ῑ προςγεγραμμένον κατὰ τὴν παραλήγουσαν. ἔστι γὰρ ἐὰν παμφαίνω καὶ τὸ τρίτον παμφαίνῃ· καὶ λοιπὸν κατ' ἔκτασιν τῆς σι συλλαβῆς γίνεται παμφαίνησι καὶ ἔχησιν.* Postea tamen redit ad sanitatem, Heraclidem secutus et ipse. Mirum, Grammaticum impense eruditum erroris laqueis se sivisse irretiri, Herodianum dico, cujus haec verba sunt in libro *περὶ σχημάτων* ap. Villoison. Anecdd. Gr. II. p. 95. 96. *τὸ δὲ Ἰβύκειον καὶ λέξεως καὶ συντάξεως ἐστίν. γίνεται δὲ ἐν τοῖς ὑποτακτικοῖς τρίτοις προςώποις τῶν ῥημάτων κατὰ πρόςθεσιν τῆς σι συλλαβῆς* (citat Il. V, 6; Odyss. I, 187.). *καλεῖται δὲ Ἰβύκειον, οὐχ ὅτι πρῶτος Ἴβυκος αὐτῷ ἐχρήσατο. δέδεικται γὰρ παρ' Ὁμήρῳ πρότερον, ἀλλ' ἐπεὶ πολὺ καὶ κατακορὲς παρ' αὐτῷ. Καὶ γὰρ,* cfr. frgm. VIII, XV, cll. Lesbonact. laud. ad frgm. LVII. Sequitur Schol. Ven. Hom. Il. V, 6. *ἡ διπλῆ, ὅτι ἀντὶ τοῦ παμφαίνῃ. πλεονάζει δὲ Ἴβυκος τοιούτῳ.* Ab his Grammaticis conjunctivi amantibus stabant summi quique viri no-

strae aetatis, velut Salmas. de ling. Hellenist. p. 148, donec Valckenaer. in Adoniaz. p. 254. indicativum docuit esse. V. Fischer. ad Weller. II, p. 347., Heyn. Il. l. c. In eo tamen falsus Valcken., quod Hom. Il. XX, 93. in eundem censum redegit. Luculenter enim demonstravit Buttm. Gr. ampl. I, p. 515, Homericos locos ad unum omnes injuria huc trahi; ubique enim conjunctivum modum esse habendum. Apud Ibycum autem indicativus erat, non subscripto ῑ; quae formatio ab initio ubique obtinuit. Quam unde Rhegini hauserint non est obscurum. Etenim ut magistratus gessisse Rhegii ad Anaxilam usque accepimus gentes Messenias, ut religiones instituerunt, sacra procurarunt eaedem, v. quae disputavimus in commentat. de Diana Phacelitide et Oreste apud Rheginos et Siculos, edita Gotting. 1832, pag. 7., ita eorundem in confirmanda dialecto Rhegina summa vis et auctoritas videtur fuisse. Nam is eos patriae amor tenuit, ut, licet trecentos per annos patria extorres vagati essent, tamen neque mores pristinos ulla in re exuerent, neque dialectum Doricam dediscerent, quod docet egregius hic locus Paus. IV, 27, 5. *Μεσσήνιοι δὲ ἐκτὸς Πελοποννήσου τριακόσια ἔτη μάλιστα ἠλῶντο, ἐν οἷς οὔτε ἐθῶν εἰσὶ δῆλοι παραλύσαντές τι τῶν οἴκοθεν, οὔτε τὴν διάλεκτον τὴν Δωρίδα μετεδιδάχθησαν, ἀλλὰ καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι τὸ ἀκριβὲς αὐτῆς Πελοποννησίων μάλιστα ἐφύλασσον.* Ibycus autem ideo saepe usurpasse videtur hanc

formam, quod dactylico numero egregie convenit. Neque tamen unus Ibycus his formis delectatus est. Ita Hymn. Homer. XXII, 5. *στίλβησι*, quam scripturam aperte commendant vestigia codd., v. Frank. ad hymn. XXXI, 16. Bacchyl. frgm. XXVI. *θάλπησι* et al. Saepius posteriores poetae hanc formam arripuerunt ii, quibus contemptis vulgaribus abnormia quaeque atque obsoleta in amoribus atque deliciis essent, Alexandrinos dico et qui pares ingenio aetate antecesserunt, velut Antimach. apud Schol. Ap. Rh. I, 1008.

ἠΰτε τις καύηξ δύνῃ ἐς ἁλμυρὸν πέλαγος,

Rutgersius ita emaculavit, ut *δύπτῃσιν* et *οἶδμα* rescriberet, cui medelae astipulatus est F. A. Wolf. epist. ad Schellenberg. p. 125., nisi quod $\bar{\iota}$ abjecto *ὕδωρ* pro *οἶδμα* substituit, interpretamentum ratus *πέλαγος*. Neque ea suspicio Wolfium fefellit. Nam cod. Paris. et *δύπτει* suggessit et ipsum illud *ὕδωρ*. Quare jam non stabit emendatio Jacobsii Anth. Pal. nott. critt. p. 514. *ἠΰτε τις καύηξ ἁλμυρὸν ἐς πέλαγος Δύνῃ* seu *δύπτῃ*. Scribendum:

ἠΰτε τις καύηξ δύπτῃσιν ἐς ἁλμυρὸν ὕδωρ.

Ceterum Wolfius l. c. Il. V, 6 et IX, 323. $\bar{\iota}$ abjiciendum censuit; posthac Heraclidem secutus in priore loco acquievit, cons. Matth. Gr. Gr. p. 385.

Quae praeterea in reliquiis poetae leguntur a vulgari dicendi norma paullulum distantia, suis locis explanavimus. Unum non possumus silentio praetermittere. Dignum enim est memoratu, quod

nonnullas verborum formas ita decurtavit poeta atque contraxit, ut mos fert vulgi. Quo referimus *ἄτερπνος* pro *ἀτέρυπνος* positum, *διέφρασαι* pro *διέφθαρσαι*, *ἤλσατο* pro *ἠλάσατο*, *Κυάρης* pro *Κυαξάρης*. Quorum si unum legeremus, locus dubitationi relinqueretur; nunc si quis fidei diffideret Grammaticorum, incautius ageret. Graeci Itali et Siculi liberius in his rebus versabantur. — Comprehensio verborum poetae, quantum non tam certo affirmare, quam divinare licet, gradum fecit a concisis antiquiorum poetarum lyricorum membris ad Pindari, Simonidis aliorumque istius aevi poetarum magnificentiam et ambitum sermonis, ratione rhythmorum vel flagitatum, cfr. Bernhardy. Synt. p. 450. In carminibus amatoriis cum ipso flumine verborum torrenti simili sequebantur ampliores verborum complexus, v. frgm. I. II. Oratio poetae crebris comparationibus illuminata aliisque virtutibus distincta.

In dispescendis carminibus Ibyci, quae septem libris inclusa testibus Suida atque Eudocia mature abolita videntur, utrum argumenta spectata fuerint, an metrorum habita ratio, ut in Sapphone factum fuit, ignoratur. Sed alterum illud vero videtur similius. Priores igitur libri amatorias *ποιήσεις*, carmina heroico-lyrica complexi videntur posteriores. Frgm. XXVI ex primo excerptum perhibetur: quae memoria si ad carmen aliquod amatorium pertinuit, confirmata nostra conjectura est. Fieri enim potest,

ut poeta Lunae in Endymionem amorem similiter adhibuerit, atque Ganymedem et Tithonum usurpavit *ἐν τῇ εἰς Γοργίαν ᾠδῇ*, frgmm. V. VI. In quinto libro inerat de Molionidis historia, v. frgm. XXVII. Grammaticos Alexandrinos operam suam impendisse colligendis carminibus Ibyci docet, quod ad relicuos quoque poetas lyricos digerendos studia sua contulerunt, v. Boeckh. praef. Scholl. Pind. p. IX sqq., Klein. Stesich. p. 48. Quorum judicium in dubitationibus de carminum auctoribus movendis secutus Athenaeus videtur, v. supra p. 43., uti Eratosthenem in ferendis de fabularum *γνησιότητι* judiciis ubique imitatum censuit eundem Meinek. quaestt. scen. I, p. 10. Quo stabilitur quam de illo loco diximus sententiam. —

Sambucam sive iambucam, *ἰαμβύκαι. οἱ δὲ σαμβύκαι*, Phot. s. v., inventum Ibyci *τοῦ Ῥηγίνου ποιητοῦ* fuisse, post Neanthem Cyzicenum *ἐν πρώτῳ ὥρων* ap. Athen. IV, p. 175, E. Suidas auctor est s. vv. *Ἴβυκος* et *σαμβύκαι*. Instrumentum Calabrorum inepte Lascaris vocavit. Teste Euphorione ap. Athen. XIII, p. 633, F. Parthi et Troglodytae eo instrumento usi sunt, quattuor intento nervis, orto ex magadide Lydia. Scamo autem *ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων* ap. Athen. XIII, p. 637, B. a Sambyce quodam excogitatum jam a Sibylla usurpatum scribit. Phot. s. v. *ὑπὸ Σάμβυκός τινος εὑρέθη*, cll. Choerobosc. in Bekk. Anecdd. p. 1417. Qui homines ut de more Graeculorum ex nomine

ipso effinxerunt, quem inventionis honore mactarent, ita similitudinem soni scrutati alii Rheginum Ibycum iambycae repertorem existimabant. Ejusdem farinae est, quod praeter Suidam alii Lexicographi prodiderunt, excogitasse poetam Rheginum instrumentum *Ἰβύκινον* de ipso appellatum, quo Galli in bellis contra Romanos feliciter usi sint. Unde verbum descendere *ἰβυκινίσαι*, corruptum illud postea in *βουκινίσαι*. *Ἰβυκάνην* vocant alii; *ἰβυκανῆται ἀπὸ Ἰβύκου εὑρετοῦ* et quae narrantur relicua. Otium enim nobis fecit qui constipavit sordes istas ex mera ignorantia recti ortas, Henr. Steph. Thes. L. Gr. s. v. Nihil buccina neque buccinatores ad poetam nostrum spectant, cfr. Kuster. ad Suid. s. v. *ἰβύκινον*, Schweighaeus. ad Polyb. II, 29. — Praestat ad seria redire de rebus metricis atque rhythmicis expositurus.

Quum Stesichori atque Ibyci poesis ex ipsis carminibus epicis effloruisset, originem suam et aliis in rebus custodivit et in ratione metrorum, quae magnam partem dactylicum rhythmum habent vel integrum vel logaoedicum. Illud tamen observandum est, hexametrum heroicum admodum raro apud eos reperiri; saepe versus minutiores, saepius usurpatos videmus, qui hexametri heroici terminos excurrant. In qua re tamen videndum est, ne quid nimis confidamus praeceptis Grammaticorum veterum, qui verendum est ne, ubi de versibus dactylicis longioribus sermonem faciunt, vel logaoedicos

pro dactylicis vendant, vel eos versus eadem numerorum continuitate ligatos esse sibi persuaserint, qui ex pluribus ordinibus compositi sunt. Id quod facile perspicitur, ubi admissis spondeis loco dactylorum posthac arsis majore vi efferenda est. Ut frgm. XIII.

— ⏑́⏑⏑ — — ⏑́⏑⏑ — ⏑⏑ — — ⏑́⏑⏑ — ⏓

⏑́⏑⏑ — ⏑⏑ —

Prior versus constat ex tribus ordinibus dactylicis; alter trimeter dact. catal. in syllabam, qui frequens est apud poetas lyricos Dorios, stropham clausisse videtur. Huc adde IV, 3., ubi duo ordines dact., et XI, 2., siquidem eum versum recte concinnavimus. Apud veteres igitur Grammaticos Ibyciorum nomine hi versus insigniti exstant.

Serv. Centimetr. p. 1821. Putsch. »Ibycium constat hexametro acatalecto, ut est hoc:

Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.«

Legitur vulgo *luminum,* ex codd. illud emendandum, cfr. Santen. in Terentian. Maur. p. 157. Ejusmodi autem versus in integrum dactylum terminatus locum habere non poterat, nisi in versibus imperfectis systematum, qualia supersunt frgm. I, 4. 6. Censendus is potius logaoedicus hac mensura:

—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ ⏓

Pergit Serv. l. c. »Ibycium constat heptametro hypercatalecto, ut est hoc:

Versiculos tibi dactylicos cecini puer optime quos facias.«

Superest forsitan exemplum hujus versus, qui est octometer catal. in syll., frgm. II, 2. Spondeos, ut par est, nullibi admissos videmus in his versibus longioribus eadem numeri perpetuitate nexis. De versibus Stesichoriis, in quibus spondei sat multi exstant loco dactylorum, non recte judicavit neque Kleinius neque Welckerus cens. Stesichor. Klein. l. c.

Atil. Fortunatian. p. 2673. Putsch. de versu Archebuleo: »Accepit nomen versus, non quod Archebulus eum invenerit; nam Stesichorus antiquior illo poeta, *Ibycus* et Pindarus et Simonides usi sunt eo, sed passim et promiscue.» Haec est species:

⏓ –́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏓

dactyl. logaoed., triplic. dactyl., duplic. troch. acatal. cum anacrusi iambica, v. Boeckh. de metr. Pind. p. 139. Ineptit Diomed. Gr. III, p. 154, a. ed. Berw. —

Dactylicos versus apud Ibycum habemus hos. Dimetrum catal. in syll. cum basi, frgm. XXXII, 1., nisi ab initio mutilus est. Tetrametr. catal. in syll. VII, 1.; XXVII, 3., ubi soluta arsi secundi pedis proceleusmatici forma exstitit, id quod Pindarus non nisi semel idque in nomine proprio sibi concessit, Isthm. III, 65. *ἔρνεϊ Τελεσιάδα*, v. Boeckh. metr. Pind. p. 127. Tetrametr. catal. in disyll. cum anacr. XI, 1. Pentametr. catal. in syll. cum anacr. II, 6; quem versum quominus anapaesticum

dicamus esse, affectio obstat verborum, incitatum cursum reformidans. Hexametr. catal. in syll. XXVII, 4; hexam. heroic. II, 4. Octometrum catal. in syll. supra vidimus, qui Servio heptamet. hypercatalect. fuit. Si quis praeterea fuerit, qui frgm. IV, 3., quem ex duobus ordinibus constare supra diximus, heptametrum catal. in disyll. censeat, non reluctantem me habebit, qui hanc sententiam nominis proprii licentia excusari intelligam. Praeter haec numerum dactylicum ostendunt frgmm. XXII, XXIV, XXIX, XLII, 1, XLVIII, LV, LVI. Incerta mensura.

Versus dactylicos in systema productos frgm. I, 4 et 6 habemus pulcherrimos. Qui primus aliquanto rectius quam antehac factum erat versus eos ordinavit Hermannus, quum pravas scripturas secutus et dactylo versum finiri posse ratus esset, quod in poetis certe Doriis nullo unquam pacto posse evicit Boeckhius, non recte perfecit id quod instituerat. Secutus tamen fere ubique Mehlhornius. Nihil dicam de voce *ὥραν* in duos versus dissecta, quod nequit fieri. Est ea stropha artificiosissime composita ita, ut cum affectu poetae et numeri vel quietiores fluant, vel soluti bacchentur. Primum habemus quattuor versus logaoedicos, dupl. dact., dupl. troch. catal.; ex quarto aptatur jam systema illud dactylicum, optime acquiescens illud in exitu logaoedico. Novos tum impetus sumit oratio: ex versu 5, qui par est tribus primis,

nectitur systema priore brevius uno dactylo, tota denique stropha clausulam habet Ithyphallicum. A versu octavo antistropham ordiri verissime Hermannus statuit. Euripidem saepe constat usurpasse haec dactylorum systemata eaque bellissima, v. gr. Heracl. 608 sqq., quos versus non recte digessit Pflugkius.

Transeamus ad versus dactylos logaoedicos, quorum hae comparent species in Ibyciis. Simplic. dactyl., dupl. troch. catal. XXXII, 2. 3., cum basi, qui dicitur Glyconeus; in versu 3 notabile est, quod trochaeus formam habet spondei. Simplic. dactyl., tripl. troch. acatal. XLV, cum anacrusi, nisi truncatus est; catalecticus idem est XXVII, 2. Duplic. dactyl., duplic. troch. acatalect. XXXII, 4. XXXIX, 2; ubi v. 1. ab initio mancus est duplic. dactyl., dupl. troch. catalect., ut XLIV; et LII cum anacr. et basi. Dupliciter dactyl., triplic. troch. acatal. VII, 2. Tripliciter dactyl., dupliciter troch. catalect. IV, 1. 2. Versus quadrupliciter dactyl., dupliciter troch. catal. IX, 3; idemque cum basi frgm. III. Frgm. autem VII constat ex tribus ordinibus dactylicis, dimetro catal. in syll., trimetr. catal. in syll., monometr. acatal. cum exitu logaoedico, duplic. troch. catalectico.

Anapaesticum dimetrum acatal. habemus frgm. XLIII. Tetrametrum acatalect. II, 1., qui quam apte ingressui carminis serviat teretes aures facile persentiscunt.

Trochaei supersunt hi: Dipodia gravis cum dimetr. dactyl. catal. in syll. XLII, 3. Ithyphallicus I, 7. clausulam efficiens. Dimeter catal. XXVII, 1. Fragm. XIX et XLII, 2. haec est dimensio, ut videtur:

–́ ⏑ – ⏓ ×̱ – –́ ⏑ ⏑ . . . .

Quattuor dipodiae graves, qui Hermanno Epitriti Dorii sunt, contra quem nuper denuo Boeckhius dixit, reperiuntur frgm. LI.

In iis, quae adhuc de metris Ibyci disputavimus licet sint, quae non omni ab parte munita contra doctiorum hominum reprehensionem videantur, tamen nullius loci incertior est mensura quam frgm. XXXVII. Non constat enim, *Κνάρης* creticusne sit an bacchius. *Ἐπέχω καὶ διασκέπτομαι.* — Omisi autem disputare de natura et affectu metrorum deque arte poetae in eligendis iis pro locorum condicione conspicua. Nam id, nisi suus quemque sensus docet, frustra praecipitur. Neque contra aliter statuentium virorum sententias locutus sum, nisi raro et coactus. Plerique autem pessime metra dimensi sunt.

Strophicam fuisse et amatoriorum carminum compositionem, aperte docet frgm. I, docent alia. Frgm. LI cur Mehlhornius forsitan ex carmine *κατὰ στίχον* scripto excerptum putet, nescio. Nam metrum quidem non potest esse indicio, quum tetrameter ille et ab Pindaro aliis versibus insertus sit, v. Boeckh. metr. Pind. p. 116. Omnino omnia carmina Iby-

cia *κατὰ σύστημα* scripta fuisse putaverim, quae conformatio ad artem istius scholae pertinuisse videtur. Cantata ea ad lyram esse docet Schol. Ar. Thesm. 161, qui Ibycum *μέλη πρὸς λύραν* scripsisse auctor sit. Ista autem carmina ut vel a poeta ipso vel ab aliis decantabantur, ita heroicolyrica chori partes flagitasse aliaque praeterea instrumenta musica pro certo habemus. Quanquam aliter ipse Hermannus statuit Epit. doctr. metr. §. 576. Strophas Ibyci, ut Stesichori, longiores fuisse et Pindari ejusque aequalium poetarum lyricorum circuitum fere aequasse, fragmenta testes sunt. Et quod de Stesichoro prodidit Dionys. Hal. comp. verbb. 19. *οἱ περὶ Στησίχορόν τε καὶ Πίνδαρον μείζους ἐργασάμενοι τὰς περιόδους, εἰς πολλὰ μέτρα καὶ κῶλα διένειμαν αὐτὰς, οὐκ ἄλλου τινὸς ἢ τῆς μεταβολῆς ἔρωτι*, id ipsum quam maxime quadrat in Ibycum. Idque adeo diserte de eodem traditur, nisi animus fallit. Ita enim scribit incertus scriptor post Censorin. de die natal. cap. 9. »Archilochus etiam commata versibus adplicando variavit; *Eupolis* per plurimas species secuit; Alcman numeros etiam minuit in carmen.« *Eupolidem* poetam comicum per errorem in hunc locum irrepsisse dudum intellectum est. Pro cujus nomine vet. cod. Lud. Carrionis in litura *ea potius* exhibuit, ex cujus vestigiis Vales. Emdatt. IV, 14. p. 119. emendavit *Ibycus*. Et id quidem nobis verissime factum videtur, quum apertum sit,

nominis proprii ignorationem hos errores procreasse. Neque facile est dictu, cujus potius quam poetae Rhegini latere nomen possit. Per plurimas species secuisse versus dicitur Ibycus, quia strophae mixtae erant ex diversis variisque metris vel concisioribus vel longioribus. Quod quam vere observatum sit et Dionysius argumento est et pauculae hae quae supersunt reliquiae. Longe aliter totum hunc locum constituerunt et alii viri docti, ut Leopard. Emdtt. III, 16., et Hermann. in epit. doctr. metr. p. 229, cujus correctio vel ideo probari nequit, quia nomen proprium, quod haud dubie latuit, obscuravit.

Carmina amatoria quibus modis compositi fuerint, quaerere distuli nec scire fas est omnia: Doricam melodiam habuisse carmina heroico-lyrica rhythmi arguunt. Quanquam nec Phrygios modos defuisse, Orestea docuit Stesichori. Haec hactenus.

Sequitur, ut de ratione qua in digerendis reliquiis Ibyci usi sumus, verba facienda sint. Qua in caussa ita versati sumus, ut, quum ordo Grammaticorum non posset restitui, argumenta carminum duces sequeremur. I. Primo igitur loco posuimus frgmm. *carminum amatoriorum.* Quorum tria priora spectant ad suos ipsius amores declarandos: quartum est ex genere *ὕμνων παιδικῶν,* Bacchyl. frgm. Paean. XII, 12., *παιδείων,* quae in pulchros juvenes confecta fuerunt, v. Dissen. ad

Pind. p. 536. De poetis huic generi carminum operatis cfr. Westermann. quaestt. Demosthen. II. p. 18. Fragmm. V. VI. sunt ex τῇ ἐπὶ Γοργίαν ᾠδῇ, quae et ipsa amatoria fuit. Subjunximus frgmm. VII—XIII, ut quae res amatorias et ludicras continuisse videantur.

II. *Carmina heroico-lyrica.*

1. *Troica,* h. e. heroes Trojanos Graecosque complexa, Trojae oppugnatione claratos, frgmm. XIV—XX.
2. *Argonautica,* fortasse Ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ, frgmm. XXI—XXIII.
3. *Aetolica,* frgmm. XXIV—XXVI. Forsitan venatio apri Calydonii inerat.
4. *Heraclea,* frgmm. XXVII—XXX.

III. *Carmen in Dianam Ortygiae,* ut videtur. Frgmm. XXXI—XXXVI.

IV. *Carmen in Samum,* frgmm. XXXVII.

V. *Carmen fabulam de dipsade* complexum, frgmm. XXXVIII. XXXIX.

VI. *Incerta,* frgmm. XLIII—LVII.

VII. *Epigramma.* Dubium.

Haec habui, quae de vita carminibusque poetae Rhegini praemonerem, vellem potuissem et limatiora et certiora. Quibus repertis laetabimur. In fragmentis emendandis his sumus usi adminiculis. Primus est *Henr. Stephanus,* nam *M. Neander* in Aristolog. Pindaric. Basil. 1556. edita se Ibyciorum nihil reperire potuisse professus est,

cujus editione lyricorum nov. poett. usi sumus quarta, Lutet. Paris. 1600. 12. Oratione pedestri excusa fragmenta, hic illic emendatiora, quam antea prostiterunt. Longe plenior est collectio *Fulv. Ursini*, Antverp. 1568. 8. Metra pessime descripta. Usus est codd. mscrr., v. frgm. II, pluraque bona ministravit. Stephani exemplar ad verbum repetiit nec translationem Latinam omisit *Aemil. Portus*, Heidelb. ap. Commelin. 1598. 8. Ibycia sunt p. 35—39. Nullam ejus habui rationem. Annotatiunculae in fine adjectae nullius fere pretii. Novem frgmm. Ibyci leguntur in *Poetarum Graecor. sylloge edid. Boissonad.*, Tom. XV, Paris. 1825. 16., v. p. 39—41. Metra omnium perversissime dimensus est neque quicquam fere attulit, quod alicujus pretii esset. Annotationes brevissimae. Quattuor frgmm., nobis I, II, IV, LI., in *Anthologiam Lyricam*, Lips. apud Teubner. 1827. 12. editam *Fr. Mehlhornius* recepit, v. pag. 56. 57. Ut bona quaedam insint, non desunt festinationis vestigia in annott. p. 111. 112. — De iis, qui singula quaeque vel emendarint vel explicuerint, dictum infra est singillatim. Quod autem hic illic quaedam ex libris manuscriptis proferre licuit, id factum est summa humanitate praefectorum bibliothecae Wolfenbuttelanae atque Gottingensis, quibus viris gratiae maximae ex animo actae sunto.

De vita poetae ejusque indole carminum nemo-

dum, quod quidem compertum habeam, de industria egit. Qui universam historiam literarum Graecarum enarrandam susceperunt, in Suidae tenuitate fere acquieverunt, ut Lil. Gyraldus, Vossius, Groddeckius, Schoellius. Plura Fabricius dedit, auctus is ab Harlesio, non emendatus. Si qui autem ultra Suidam progressi sunt, non raro in joculares errores delabuntur. Id consulto notare supersedi; sed ne quid invidiosius a me dictum existimetur, haec habebis exempla. Balth. Bonifacius hist. ludicr. I, 6. ab ibycibus avibus enutritum mensis adeo Deorum admotum jocatur, ex frgm. XII procul dubio. Narrat Harlesius ex Crasso de poett. Grr. p. 292., scripsisse eum Raptum Ganymedis et Pithonem. Mohnikius hist. lit. Grr. p. 303. metrum ab eo inventum et denominatum *ἰβύκινον* novit. Immo vero omnium primus Ibycus variantia quinque planetarum nomina excogitavit, ut placet Vossio de Idololatr. II, 33. Vereor, ne frgm. XLVII lepidae fabellae parens sit. Talia melioribus repertis

Porcis comedenda relinques.

II.

Ibyci carminum quae supersunt.

I. *Carmina amatoria et ludicra.*

Fragm. I.

Athen. XIII, p. 601. B.

Ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι
μαλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν
ἐκ ποταμῶν, ἵνα Παρθένων
κῆπος ἀκήρατος, αἵ τε οἰνανθίδες αὐξόμεναι σκιεροῖ-
σιν ὑφ' ἔρνεσιν
οἰναρέοις θαλέθοισιν· ἐμοὶ δ' Ἔρος οὐδεμίαν κα-
τάκοιτος ὥραν.
Ὥστε δ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων
Θρηΐκιος Βορέας ἀΐσσων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μα-
νίαισιν ἐ-
ρεμνὸς, ἀθαμβεΐησι κραταιός,
παιδόθεν φυλάσσει
Ἡμετέρας φρένας . . . .

—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — —́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — ⏓
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ —
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑ — —́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏓
—́ ⏑ — ⏑ — —
—́ ⏑⏑ — ⏑⏑ [— ⏑ —]

Vere quidem et cotoneae mali rigatae undis ex fluviis, ubi virginum hortus inviolatus, et

gemmae crescentes umbrosis sub germinibus pampineis pullulant; mihi vero Amor nullam quietus horam. Sed sicut inter fulmina exardescens Thracius Boreas, ruens a Venere siccis furoribus horridus, fiducia vehemens a puero custodit nostram mentem.

Expositurus poeta se nunquam non solicitari ab Amore, praeparat hanc sententiam et illustrat per oppositionem, quod est usitatum admodum poetis genus dicendi, ad vim sententiarum extollendam unice comparatum. Id ut saepe usurpatur a Pindaro initio potissimum carminum, v. Dissen. Ol. I, 1. multisque al. loc., ita non raro choros Tragicorum orditur, ut Aesch. Choeph. 578, cll. Soph. Antig. 332. Tum animum adverte, cur vere pullulantes nominet malos Cydonias et vites. Malorum enim frequens usus inter amantes, v. Theocr. II, 120, III, 10, XI, 10. Coraes. ad Heliod. III. p. 118; Cydonia puellis dono missa docet Virg. Ecl. II, 51, III, 70, ubi v. Voss., cll. Boettiger. Sabin. II, p. 76. Vites autem nominat poeta ut amore flagrantissimus, ita, opinor, nec vini abstemius; nam, ut est in proverbiis, *Ἀφροδίτη καὶ Διόνυσος μετ᾽ ἀλλήλων εἰσί*, Apostol. V, 18. cfr. Walz. ad Arsen. Violet. p. 87. 10.

V. 1. *ἦρι.* Secutus Ibycus Stesichorum est, qui primus hac flexura usus videtur, frgm. XXXIX, LXXV Klein., v. Buttm. Lexil. I. p. 121. not. 5. Nam quod Voss. ad hymn. Cer. p. 134. Mimnermum

jam ita scripsisse censet, fefellit eum Grotius, cujus emendatio est ἦρος pro ἔαρος, vid. Stob. Floril. XCVIII, 13. p. 528. Gaisf. Ita Hesiod. opp. 462. ἔαρι πολεῖν injuria tentavit Bentl. ap. Goettling. scribendo ἦρι. Hymn. Cer. 455. ἦρος ἀεξομένοιο, sed v. 174. εἴαρος ὥρῃ, unde probabile fit altero loco scribendum esse εἴαρος αὐξομένοιο. — 2. μαλίδες scripsi cum Urs., Mehlh.; cod. A. μολίδες. Relicui μηλίδες. Μᾶλα habet Stesichor. frgm. XLVI. Klein. et ipse Ibycus frgm. VII. — ἀρδόμεναι ῥοᾶν ἐκ ποτ. Codd. A. P. ῥοάν, quod tolerabile censet Naek. Choeril. p. 107, melius ῥοᾶν; Schweighaeus. commode editum ῥοᾶν, sive intelligas ἐκ ῥοᾶν τ. ποτ., sive ὑπὸ ῥοᾶν ἐκ ποτ., suppleta hac praepositione. Neutrum ferendum: alterum rejiciendum est ob perversam collocationem praepositionis ἐκ, alterum quia non dicitur ἄρδεσθαι ὑπό τινος. Verum est, ubi ἄρδειν, ἄρδεσθαι loco vulgaris dativi asciscat secundum casum, veluti hymn. Hom. IX, 3. in Dianam: ἵππους ἄρσασα βαθυσχοίνοιο Μέλητος, in quem locum v. Ruhnk. Ep. cr. I. p. 61. Chaerem. apud Ath. II, p. 43. C. χήμῶν δὲ πᾶσα δύναμις ὑδάτων ἄρδεται. Euphor. frgm. LXXV. Σιμόεντος Ἀχαΐδας ἄρσαμεν ἵππους, ubi Mein. p. 143. non immemor fuit hujus loci: quod Alcmani assignat, errat. Ita Eur. Phoen. 684. αἵματος ἔδευσε γαῖαν; Bacchyl. frgm. XXVI, 2. θάλπησι θυμὸν Κύπριδος, ubi v. Neue p. 43. Apertum autem est, quid intercedat discriminis inter ter-

tium et secundum casum. *Ῥοαὶ ἐκ ποτ.* sunt fere *ῥοαὶ ποταμίαι*, ut origo rerum apud Graecos et Latinos vocula *ἐκ*, *ἀπὸ*, *ab* designatur, veluti Sapph. frgm. XIX. *ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας* et quae alia sunt ap. Neuium p. 52. Hoc tamen interest, quod *ῥοαὶ ἐκ ποτ.* vivide pingunt rivulos ex fluviis deductos ad irrigationem agrorum. — Quae quum ita sint, jam nemo astipulabitur Fiorill. obss. in Ath. p. 64. conjicienti *ῥοαῖς* »sensu postulante,« ut affirmat. Quae idem ascripsit de formis *ἄρδειν*, *ἀρδεύειν*, non minus falsa sunt. Rectius Eichst. de dram. com.-sat. p. 144., Lobeck. Phryn. p. 763. — 3. *Παρθένων.* Recte Boisson.; relicui *παρθ.* Intellige Hesperides, quarum aurea mala, quae citrea fuisse disputatione efficiunt convivae Athen. III. p. 83, nobilitavit expeditio Herculea; quae res in caussa videtur fuisse, ut haec potissimum nominaret poeta. — *κῆπος ἀκήρατος.* Unus Naek. l. c. *κᾶπος.* *Ἀκήρατοι* fere dicuntur agri, horti, prata Deorum, ut hymn. Hom. Merc. 72. *θεῶν μακάρων βόες* pascunt *λειμῶνας ἀκηρασίους.* Eurip. Hippol. 73. Hippolytus coronam dedicat Dianae *ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος.* ubi v. Valcken. p. 171. D., Ruhnk. Tim. p. 11 sq., Blomf. Aesch. Pers. 620. Alia de voce *ἀκήρατος* habet Naek. ad Choerileum illud *ἀκήρατος λειμών*, l. c. Hesperidum hortus autem *ἀκήρ.* est, quia nullis turbatus calamitatibus vere efflorescit, seu ut loquar cum Eur. l. c.

ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτά,
οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον
μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται,
ἕως δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.

Hesperides autem non memini alias vocari *παρθένους*, quae *νύμφαι* sunt ap. Apoll. Rh. IV, 1399, *ὑμνῳδοὶ κόραι* Eur. Herc. fur. 394., *Ἑσπερίδες ἀοιδοὶ* Eur. Hipp. 742. Mirum, ni poeta amator de industria ita nuncupavit, ludibrii gratia. Nam verba *παρθένων κῆπος ἀκήρατος* nec hunc respuunt intellectum: *virginum flos nondum decerptus*, ut Latini dicunt *hortus* sensu inhonesto, saepe autem *παρθένος ἀκήρ.* intemerata virgo. — 4. *αἵ τε οἰνανθίδες.* Cod. B. *οἰνανθίδος;* omnes *τ'*, quod plene scripsi et ob numerorum aequalitatem et quia digamma procul dubio vim suam servaverat, suadente *Muellero.* — *ὑφ' ἕρνεσιν.* Steph. *ὑπ' ἕρνεσιν,* quem sequitur Fiorillo obss. in Athen. p. 65; aliter idem in Herod. Att. p. 62. Est vero, ubi *ἕρνος* scribatur, v. Lexic. *περὶ πνευμάτων* post Ammon. Valcken. p. 197. Lips. *καὶ ἐν πολλοῖς τῶν σχεδεκδοτῶν* † *τὸ ἕρνος δασυνόμενον εὗρον,* ubi cum Titizo praef. Moschop. p. XVIII. scribe *τῶν σχεδεκδότων.* Moschop. opuscc. p. 36. *ἕρνος καὶ ἕρδω δασυνόμενον.* — *θαλέθοισιν.* Ita A. B., Schwgh., Dind., Boiss., Mehlh.; *θαλέθουσιν* P. V. L., Steph., Fior.; *θαλέουσιν* Urs., Fiorill. Herod. Att. p. 62., quod est nihili, nam ap. Pind. est pro *θηλέω.* — *Ἔρος.* Ita Boiss.; *ἔρος* A., Schwgh., Dind., Mehlh.,

ut frgm. II, 1.; ἔρως P. V. L. rell. De hac forma Grammaticorum vett. consensu Aeolensibus vindicata, Koen. Greg. Cor. p. 608, antiquioribus poetis omnino communi v. Buttm. Gr. max. I, p. 212. Neque Tragici plane contempserunt, v. Valck. Eur. Hipp. 449. Deus ipse, ut ap. Ibycum, ita Hes. Theog. 120. Ἔρος. — κατάκοιτος. Ita post Aldum edunt; codd. A. B. P. κατάκητος. — 5. Ὥστε δ' ὑπό. Libri omnes τε ὑπό, quod Steph. translatio latina expressit: *et — incendens.* Dalecamp. vertens: *ut Boreas quidam* legit vel ὥς τις vel ἅτε τις. Intolerabili hiatu locum foedans Fior. obss. p. 65. ὥστε ὑπό, quem ita removit Boiss., ut ederet ὥσθ' ὑπό. Jacobs. in Anth. Gr. III, 2, p. 155. ἅτ' ὑπό. Debebat certe ἅθ', uti scripsit Hermann. Ephemeridd. liter. Lips. 1817, II, p. 2233, Epit. doctr. metr. p. 120., versus ita dimensus:

οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥ-
ραν ἅθ' ὑπὸ στ. φλ.

Verum sententiarum tenor demonstrat, requiri particulam quae adversetur superioribus, alteram quae comparationem Amoris atque Boreae incipiat. Ut ab hac quidem parte Mehlhornii medela probabilitatem habeat, qui conjicit scribendum ἀλλ' ἅθ' ὑπὸ στ., remotius tamen illud a vestigiis codicum. Qui quum suppeditent τε, recte Fiorillonem ὥστε eruisse censemus: ut persanetur locus Δ particula inserta opus est, quae facile excidere poterat ante ΥΠΟ. Quo facto optimus enascitur sensus: sed

tanquam Boreas magna cum vi Amor in me irruit. Ὥστε eodem modo usurpavit Ibycus frgm. II, 6.; δὲ autem post enunciatum negans haud raro fortius efferendum, ubi exspectetur ἀλλά, v. Schaefer. append. Bast. ep. crit. p. 29 sq. — φλέγων. Steph. per errorem φλέγω. Fortissime dictum de turbine ex frequenti translatione hujus et similium verbb., v. Brunck. Aesch. Perss. 393. Tum et ideo h. l. positum est, quia Boreas ingruit quasi ardens fulminibus ipsum comitatis; hoc enim est ὑπὸ στεροπᾶς φλ., ut Hom. Il. IV, 276. ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς. XIII, 796. ἀέλλῃ ὑπὸ βροντῆς. — 6. Θρηΐκιος. Codd. A. B. θρηΐκοις, P. V. L. θρηϊκίοις, Steph. Θρηϊκίους. Verum vidit Fiorillo, inscius idem ab Ursino occupatum esse; cfr. de hac forma Mehlhorn. Anacreont. p. 211. Thracius autem Boreas omnibus poetis tempestas furiosissima, cfr. Hom. Il. IX, 5., Hes. Opp. 551. et qui Ibycium locum usurpavit Mitscherl. Hor. I. carmm. 25, p. 244. — 7. ἀζαλέαις μαν. *siccis furoribus*, h. e. siccantibus, ut Apoll. Rh. IV, 679. ἀζαλέος ἥλιος. Μανίαισιν recentiores ex cod. B., μανίαις P. V. L., Steph., Urs. — ἐρεμνός. Turbidus, horribilis poetae dicitur Amor furoribus siccis. Subest imago Boreae, ap. Hom. λαῖλαψ ἐρεμνή: qui licet fulguribus illustratus ingruat, tamen etiam tenebras offundit caelumque contristat nubibus. Ita Amor serenum atque tranquillum poetae animum turbat furoribus amatoriis. Pro ἐρεμνὸς

Jacobs. l. c. ἐρεμνὰς, seq. Boisson., ut applicetur ad v. φρένας in fine positum. Id vero neque metrum fert, neque collocatio verborum, neque sensus. Non enim huc pertinent Homeri μέλαιναι φρένες. Fiorilloni ἔρως ἔμ' conjectare placuit. — ἀθαμβεῖησι. Cod. A., Dind. ἀθάμβησε; ἐθάμβησε Steph., Urs., Jacobs.; ἐθάμβησεν Mehlhorn. Dalecampius interpretatur »me percellit,« qui usus verbi posterioribus scriptoribus relinquendus est. Omnino certum est, verbum locum non posse habere, quia tum ultima intellectu destituuntur. Gallicus Interpres intellexit de Amore, qui ipse stupeat μανίας poetae. Pravissime. Ex scriptura cod. A. Schweigh. dubitanter effinxit ἀθαμβὴς, cui non multum tribuit fidei Boisson., qui recepit. At metrum ita jugulatur, nisi inserendum censes ἠδὲ, quo facto elumbis evadit et oratio et numeri. Naekius Choeril. p. 107. monstrum alii domandum reliquit; aggressus est Hermann. Eph. liter. Lipss. l. c. scribendo: ἐρυμνὸς ἀθαμβείῃσι, *munitus fiducia.* Quam emendationem ita adoptavimus, ut servato ἐρεμνός, quod prorsus necessarium sit, metrum solutione diphthongi admissa sustentaremus, a qua non est cur abstinuisse Ibycum arbitremur. De tragicis poetis cfr. Elmsl. ad Eur. Med. 806, Wellauer. ad Aesch. Suppl. 58, Agam. 122. *Muellerus* dubitanter ἀθαμβοσύνῃσι conjecerat. De sinceritate scripturae tamen valde dubitamus, quum id quod suscepimus in ordinem et artificiosius dictum

videatur, et pro rei condicione lenius, quod contra Herm. Mehlhornius movit. Exspectanda meliora. — *κραταιός*. Ita V. L. Steph., Urs., Fior. jungens cum sqq.; *κραταιῶς* A. P. Mehlh., Boiss. et Herm. idem amplexi referunt ad sqq. Nos cum *ἀθαμβ.* copulavimus. — 7. *παιδόθεν φυλάσσει ἡμετέρας φρένας.* Ita post Hermannum libros secutus scripsit Boiss. Naekius autem Choeril. l. c. quum frigidissimum *φυλάσσει* furibundae antegressorum verborum tempestati non respondere censeret, proposuit:

πεδόθεν τινάσσει ἁμετέρας φρένας.

Quam emendationem probatam nuper Dissenio in Pind. Isthm. IV, 38. rejecerat Hermannus. In externae speciem similitudinis comparari poterat Hesiod. Theog. 680. *πεδόθεν ἐτινάσσετο μακρὸς Ὄλυμπος,* nec non Sapphicum illud *ἔρως ἐτίναξε φρένας.* Et primum quidem voc. *παιδόθεν* nullo pacto posse exsulare Hermann. l. c. censuit, quoniam Athenaeus haec verba adscripserit demonstraturus, masculos amores poetis praestantissimis in laude poni. Sed hoc vix opus erat expresse significari, quum ex totius strophae affectu prodeat. Nos necessariam judicamus commemorationem perpetuitatis amoris, quum summa strophae eo redeat, ut profiteatur poeta: »Natura quidem mutatur, mihi vero Amor nunquam cessat; sed turbinis instar irruens a Venere horrendus inde a primis pueritiae annis, quod est *παιδόθεν,* me sibi deditum habet,

custodit.« Nihil ob totam conformationem similius, quam Horat. II carmm. 9. Mehlhornius ex scriptura cod. A., quae est *παιδ᾽ ὅθεν*, effecit *παῖς ὅθεν*, verba ita ordinans:

παῖς ὅθεν ἡμετέρας φρένας φυλάσσει.

At id et nimis dissidet ab vulgatis neque sententiae poetae congruit, quum certo amoris termino fixo perpetuitatem evertat. Commemorata emendatione Naekii se tum malle *παιδόθεν αἰθύσσει* significavit Mehlh., quod nec ipsum perpetuitati amoris conveniens est. In similitudinem adhibeas Bacchyl. frgm. XXVI. *ἀνάγκα ἐλπίδι αἰθύσσει φρένας*, de quo verbo est annotatio Tafelii dilucidd. Pind. Ol. VII, 95. Si quid in illum sensum mutandum esset, reliquis omnibus palmam praeriperet emendatio a *Muellero* mecum communicata *παιδόθεν σαλάσσει.* Neque tamen alia reperiendi facultas adempta est, velut *χαράσσει*, ut *Ἔρως θεῶν ψυχὰς χαράσσει* dixit Sophocl. ap. Stob. Serm. LXIII, 25. Fiorillo denique non damnato *ἐθάμβησε* scripsit *παιδόθεν φυλάσσων*, arbitrarie, licet cod. P. *φυλάξον* ministret. Ceterum carmen verno tempore scriptum videtur.

Fragm. II.

Platon. Parmenid. p. 137, A. Steph.

Καίτοι δοκῶ μοι τὸ τοῦ Ἰβυκείου ἵππου πεπονθέναι, ᾧ ἐκεῖνος ἀθλητῇ ὄντι καὶ πρεσβυτέρῳ ὑφ᾽ ἅρματι μέλλοντι ἀγωνιεῖσθαι καὶ δι᾽ ἐμπειρίαν τρέμοντι τὸ μέλλον, ἑαυτὸν ἀπεικάζων, ἄκων, ἔφη,

καὶ αὐτὸς οὕτω πρεσβύτης ὢν εἰς τὸν ἔρωτα ἀναγκάζεσθαι ἰέναι. In quem locum haec ascripsit Scholiasta: *τὸ τοῦ μελοποιοῦ Ἰβύκου ῥητόν·*

Ἔρος αὖτέ με κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις τακέρ᾽ ὄμμασι δερκόμενος
κηλήμασι παντοδαποῖς ἐς ἀπείρονα δίκτυα Κύπριδος εἰςέβαλεν.
Ἦ μὰν τρομέω ἵν ἐπερχόμενον,
ὥστε φερέζυγος ἵππος ἀεθλοφόρος ποτὶ γήρᾳ
ἀέκων σὺν ὄχεσφι θοοῖς ἐς ἅμιλλαν ἔβα.

⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ —
— —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏓
— —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ ⏓
—́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
— —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ —

Amor rursus me caeruleis sub palpebris lascive oculis contuens omnibus irritamentis in infinita conjecit retia Cypridis. Hercle sane perhorresco eum, sicut jugum ferens equus victor senio affinis invitus cum curribus celeribus in certamen ivit.

Primus haec ex duobus codd. Vaticanis edidit Ursinus; tum Ruhnken. Scholl. Plat. p. 40., Siebenkees. Anecdd. Grr. p. 49. ex duobus codd. Venet., uno Angelico, nulla tamen scripturae varietate exsignata; Bekker. Scholl. Plat. p. 329, pluribus usus codd., nihil de discrepantiis monens. Ex cod. Darmstadino protulit Creuzer. ad Plotin. de pulchrit. p. 351., edidit Chardon. Rochett. Miscell. literar. II, p. 417. Qui et ipse prodidit Proclus

in Plat. Parm. V, p. 316. Cusin. haec verbis poetae praemisit: Ἵνα ἐνδείξηται, πόσος ἐστὶν ὁ ἀγὼν καὶ τὸ ἆθλον οἷον, ἑαυτὸν ἐλάττω φησίν εἶναι τῆς διεξόδου ταύτης καὶ ταὐτὸν τῷ Ἰβύκῳ πεπονθέναι, τῷ πρὸς τὰ ἐρωτικὰ διὰ γῆρας ἑαυτὸν ἐπιδιδόναι κατοκνοῦντι μὲν, ἀναγκαζομένῳ δὲ, καὶ ἀπεικάζοντι τὴν παρουσίαν αὐτῷ ταύτην ἀνάγκῃ (scribe παροῦσαν αὐτῷ ταύτην ἀνάγκην) ἵππῳ πρεσβύτῃ καὶ ἤδη πολλάκις ἠγωνισμένῳ καὶ δι' ἐμπειρίαν τρέμοντι τὸ μέλλον. λέγει δέ πως οὕτως ὁ μελοποιός· Ἔρως sqq.

V. 1. Ἔρος. Ità Mehlh. et Huschk. in Tibull. I. 4, 32, qui ex Creuzeri libro Darmst. ascripsit, perperam versus ordinans; ἔρως cod. Darmst. supra scripto man. sec. ἔρος. Relicui ἔρως, v. I, 4. Plane omisit Fiorillo observv. in Athen. pag. 67, qui hoc frgm. cum frgm. I. imperitissime conflavit, quod neque metrum patiatur et sensus respuat. Nihil autem obstat, quo minus ipsum carminis initium superesse putemus. Mehlh. lacunae signa ante Ἔρος, qui apud ipsum finis est truncati versus, posuit. Optime autem convenit tenor anapaesticus. — αὖτέ με. αὖ τέ με Procl.; αὖτ' ἐμὲ Siebenkees. Translatio vetusta Latina Procli apud Cusin. l. c. pag. 417. *Amor rursus utique,* ut αὖ τοι videatur expressisse. 18) — Ut autem

18) Quae quum ex codice a vulgatis haud raro discrepante facta in constituenda scriptura aliquid valeat, ascripsi

intelligatur, omnes fere poetas superari ab Ibyco vehementia amoris, similes aliquot poetarum locos, in quibus eadem expressa sententia est, libuit afferre. Archiloch. frgm. LXXVI. Liebel. *Ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς, ὦ 'ταῖρε, δάμναται πόθος.* Alcman. frgm. XXVI. Welck. *Ἔρως με δ' αὖτε Κύπριδος ἕκατι Γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει.* Sapphon. frgm. XXXVII. Neue. *Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.* — *κυανέοισιν ὑπὸ βλεφάροις; κυανέῃσιν* Siebenkees. Vellem constaret utrum id ex codd. haustum sit an errori debeatur. Quodsi illud esset, composita foret lis, quae agitata de Hesiodio illo Scut. Herc. 7. *βλεφάρων ἀπὸ κυάνεάων* inter viros doctos nondum dirempta est, quum alii novam formam *ἡ βλεφάρη* commenti sint, alii $\overline{\alpha}$, insertum praeter morem, Doriensium esse dicant, v. Heinrich. et Goettling., cll. Buttm. Gr. max. I, p. 153. Si vere Ibycus scripsisset *κυανέῃσιν ὑπὸ βλεφάροις, ἡ βλέφαρος* novum vocabulum lexicis foret addendum. Modo Bekkerus de libris suis referre voluisset. — *βλεφάροισι* cum cod. Darmst. Huschkius, finem faciens versus. *Βλέφαρα κυάνεα* et veteres in laudibus ponebant et nunc ponunt. — *τακέρ' ὄμμασι*

---

h. l. »*Amor rursus utique ceruleis sub palpebris refrigerata oculis conspicatus demulcimentis omnifariis in infinita retia Cypridis jecit jaculum trementi invadens, unde regalis equus palmarius in senio exercens cum curribus diis in pugnam incessit.*«

δερκόμενος; *τακερὰ* cod. Darmst., Urs., Ruhnk., Bekk., Proclus; *τακεροῖς* Siebenk., Roch., Boiss. vitiato metro. Ortum mendum ex antegressorum vocabulorum terminatione. *Τακερὰ δέρκ.* dictum ut *ὑγρὸν βλέπειν*, *ἁβρὰ γελᾶν* et simm. ap. Blomfield. Aesch. Sept. 53; cum Ibyco conspirat Alciphr. I, 28. *τακερὸν βλέπειν*, ubi v. Bergler., Antip. Sidon. Anthol. I, 29, 1. *τακερὸν λεύσσειν*, v. Jacobs. VIII, p. 312. Anacreon ap. Schol. Ap. Rh. III, 120. *τακερὸς ἔρως*, quocum componit Homeri *ὑγρὸν δέος*. — *ὄμμασι.* Siebenk. *ὄμμ.;* unius cod. Darmst. errorem *ὄμματα* suscepit Huschkius. Non temere appositum *ὄμμασι*, ut in quibus omnis ignis amoris conspiciatur. Unde Eurip. Hec. 442. Helena Trojam cepisse dicitur *διὰ καλῶν ὀμμάτων*, v. Mitscherl. Horat. IV carmm. 13, 8. Talia autem substantiva verbis ejusdem significatus addita eam habent virtutem, ut vel vim exaggerent, veluti in oppositionibus, cfr. hymn. Hom. Cer. 57. *φωνῆς μὲν γὰρ ἄκουσ᾽, ἀτὰρ οὐκ ἴδον ὀφθαλμοῖσιν*, cfr. Dissen. Pind. Ol. XI, 65., Nem. I, 50.; vel vividis coloribus rem pingant, ut Stesich. Geryon. frgm. X. Klein. *ὁ δ᾽ ἐς ἄλσος ἔβα ποσσὶ πάϊς Διός*, quo egregie ob oculos ponitur gravis Herculis incessus, ut magnopere improbandus sit, qui *ποσσὶ* vocem expungendam ratus est. Tum de v. *δέρκ.*, *ποτιδέρκ.* in amoribus usitato v. Huschk. Anall. critt. p. 175.[19]) — 2. *ἐς ἀπείρονα δίκτυα.* *εἰς* cod.

19) Si Soph. Antig. v. 778. tot vexatum conjecturis nova

Darmst., Urs., Ruhnk., Siebenk., Bekk., Huschkius Proclus. Vulgata omnium librorum scriptura *ἄπειρα* quum Mehlhornio neque metrum explere videretur neque sensui magnopere congruere, de qua re aliter sentio, tres proposuit conjecturas, vel *ἀπείρατα*, vel *ἀτείρεα*, vel *ἀτήρια*, quarum nulla stabilis. Ut de sensu primum dicamus, recte intellexit vetus interpres Lat. retia dici a poeta *infinita*, ex quibus aegre expediare. Idque vulgato *ἄπειρα*, modo metrum constaret, optime significaretur, ut Aesch. Agam. 1355. *ἄπειρον ἀμφίβληστρον ὥσπερ ἰχθύων*; et de eadem re Eur. Orest. 25. *ἄπειρον ὕφασμα*, quod Aesch. Eumenid. 605. est *ἀτέρμων πέπλος*. Mehlhornii *ἀπείρᾰτα* autem ducendum esset a v. *πειράζειν*, ut retia vocarentur *nondum*

---

aliqua adaugere fas est, facile adducor, ut ex Ibyciae dictionis similitudine scribendum suspicer: *Ἔρως, ὃ κηλήμασι ῥίπτεις*, *Amor, qui demulcimentis jacis*, h. e. qui homines demulces. Nam ut est *βάλλειν σκώμμασι τὸ σκώπτειν· καὶ βάλλειν λοιδορίαις ἤτοι λοιδορεῖν. καὶ βάλλειν ἀραῖς*, Phrynich. in Bekk. Anecdd. p. 29, 27., ita *κηλήμασι ῥίπτειν* est i. q. *κηλεῖν*. *Ὅ* autem pro *ὅς* positum est in loco gemino, qui est Eurip. Hipp. 525. Id autem ut ex antiquo sermone retineri poterat, ita forma *ὅς* pro articulo *ὁ* nunquam profecto posita est. Quod monui propter Hartung. de cass. p. 113., qui ap. Pind. Pyth. III, 106. *ὅς πολὺς* non emendandum ratus *ὅς* pro articulo accipit. Dissenius *πάμπολυς* conjecit, probatum Boeckhio. Ego suspicor scribendum esse: *ἄσπετος εὖτ᾽ ἂν ἐπιβρίσας ἕπηται*. Ceterum de loco Soph. v. quae congessit Wex. Syllog. II. p. 204 sqq.

cognita, cui sententiae universa carminis affectio reclamat: infinitus, immensus est *ἀπείρᾱτος*, v. Boeckh. nott. critt. Pind. Ol. VI, 54. Eodem vitio laborat *ἀτήρια*, quod primam longam constat habere. *Ἀτείρεα* denique ab Homero dicitur de rebus ferreis, de animo ferreo non flectendo; de reti vereor ut recte dici potuerit. Duas vias aperuit Fiorill. obss. Ath. p. 67, ut aut legatur *ἐς ἀπείριτα* aut *εἰς ἀπερείσια*, quorum hoc longius dissidet a vulgato: illud de mari fere dicitur vasto: reti non aptum videtur. Quae igitur omnia quum non satisfaciant, rescripsimus leni medela usi *ἀπείρονα*, ut Hom. Odyss. VIII, 340. *δεσμοὶ μὲν τρὶς τόσσοι ἀπείρονες ἀμφὶς ἔχοιεν.* Ceterum simillima verba Aesch. Prom. 1078. *ἀπέραντον δίκτυον ἄτης.* — Translatio autem rerum venatoriarum et piscatoriarum in amatoria perfrequens est, veluti Sapphon. frgm. I, 19., v. Abresch. lectt. Aristaen. p. 286. — *Κύπριδος εἰςέβαλεν.* Libri omnes *Κύπριδος βάλλει*, inepto numero. Transpositione sanare aggressus est Mehlhorn., qui scripsit *εἰς ἄπειρα ⏑ δίκτυα βάλλει | Κύπριδος· ἦ* sqq. quod et violentius est remedium nec firmum, quum choriambus inferciatur ab his numeris, qui puri anapaestici et dactylici sunt, alienus. Priusquam Procli interpretem cognossem, haec commentatus eram. Duae emendandi patere viae videntur. Nam quum finiri versum et cum vv. *ἦ μὰν* novam vim colligere orationem sententiarum conformatio doceat, verisimillimum est logaoedicum exitum fuisse.

Unde scribendum conjicimus *καβάλλει*, ut est ap. Alcmanem *καβαίνω*; ap. Pindar. *κάπετον*, de quibus v. Boeckh. nott. critt. Ol. VIII, 38; Hermann. Opuscc. I, p. 261; adde Hesych. v. *κάβλημα*. Altera ratio ea est, ut *με* inseratur ante *βάλλει*. Est enim, ubi in eodem enunciato duplicetur pronomen, quod fieri solet, ubi vel post longiorem verborum ambitum lectores auditoresve monendi sunt, de quo potissimum agatur, vel ubi commotior oratio surgit, veluti Soph. Oedip. Col. 1401.

μή τοί με, πρὸς θεῶν, σφῷν ἐάν γ' αἱ τοῦδ' ἀραὶ
πατρὸς τελῶνται, καί τις ὕμιν ἐς δόμους
νόστος γένηται, μή μ' ἀτιμάσητέ γε.

Similiter Aristoph. Eqq. 788. Dind. in simili orationis circuitu. Ad omittenda talia proclives fuisse librarios patet: sicuti apud Aristoph. cod. et edit. Suid. ap. Dind. alterum *σε* non commemorant. In Soph. El. 638. Herm. tamen nulla idonea caussa est, cur post *ἐκβαλεῖν* intrudatur *μ'*, unius auctoritate libri Monacini, quod suasit Reisig. comm. critt. Soph. O. C. 1273. 74., ac minime inelegantem illam scripturam judicat Hermannus. Nobis eo loco nullam vim videtur habere, quum vix exaudiri possit ante v. *ἐφῆς*. Nec in eo assentimur Reisigio, quod Xen. Oecon. X, 4. huc traxit. Ibi legitur: *οὐ γάρ ἂν ἔγωγέ σε δυναίμην, εἰ τοιοῦτος εἴης, ἀσπάσασθαι σε ἐκ τῆς ψυχῆς*. Repetitio mihi h. l. nullum usum habere videtur omissumque alterum *σε* ab optimis codd. secludendum est.

Perspiciatur ex his exemplis, iterari solitas esse eas voculas tenuiores, quas minus attenta auditio facilius praetermitteret. Ut igitur illis locis sunt, qui pronomen altero loco ignorant libri, ita apud Ibycum induxisse videntur oscitantes librarii. *Βάλλει* dictum de conatu, quod quomodo intelligendum sit, docuit Dissen. Pind. Ol. XIII, 59. — Scripseram. Sed quum interpres Procli praeteriti temporis formam legerit, rescripsi potius *εἰςέβαλεν*, hortatu *Dissenii*, qui tum demum repetitionem pronominis personalis rationem habere me docuit, quum aliud membrum orationis interpositum sit integrum. — 3. *ἦ μὰν τρομέω ἶν.* Ursin. *τρομέων ἶν*, Darmst. *τρομέων ἴν'*, unde Koenius in Greg. Cor. p. 228. Schaef. *τρομέω νιν* emendavit idque omnes fere recentiores viri docti non cunctanter receperunt. Sed plura momenta cautionem docent adhibendam. Nam primum, qui factum est, ut forma non infrequens *νιν* ab librariis quantum constat omnibus neglecta deprehendatur? Secundo loco apud Procl. plane omissum pronomen est, quod non esset, nisi rarior aliqua forma delitesceret, quam quidem non obscure significant Ursini et Darmst. libri testimonia. Verba *ἦ μὰν τρ. ἶν ἐπερχ.* mire vertit Interp. Lat. »jaculum trementi invadens,« ut *τρομέοντι* legisse videatur. Pro *ἦ μὰν* quid tandem legerit, alii viderint.

In definienda lectione hujus loci plures viae iniri possunt. Primum statui potest, in Ursini

scriptura participium esse pro verbo finito, *τρομέων εἰμὶ, τρομέω*, quod conveniens foret anxietati poetae ab Amore lacessiti. Vide de hoc usu participii Hermann. in Viger. p. 770, Goeller. Thuc. I, 25. Praeterea statui potest post *ἔβα* absorptum esse verbum finitum, ad quod participium alligaretur. Quo tamen confitendum est frangi nervos incitatae orationis. Quare nobis re multum deliberata certissimum videtur, et *ἴν*, *eum* profectum a poeta esse nec vitatum hiatum, qui est in vv. *τρομέω ἴν.* Nam plane eadem res est frgm. VII, 1. *καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος*. Cujusmodi hiatus in arsi conspicui ex epica poesi in lyricam derivati non habent offensionem. Sed librarii dum removebant, varie scripturam pristinam inquinabant. *Ἶν* autem accusativus est a nominativo *ἴ, αὐτός*, Latinorum *is*, ea, id. Accusativus respondet veteri Latin. formae *im*, nostri *ín*. Quae forma Pindaro aliquoties reddita, aliquoties praeterea, ut viris doctis placet, reddenda, veluti Ol. III, 26. *Ἰστρίαν ἴν* ex varietatibus lectt. eruit Grashof. in Diarr. scholasticc. 1831, II, p. 708, quum ab Hesych. s. v. *ἴν, αὐτὸν, αὐτήν. Κύπριοι*, Cypriorum propria perhibeatur, si modo apud Pindarum exstitit, jam aetate Hesychii obscurata fuerit necesse est. Cfr. egregie de hoc pronomine disserentem Hartung. de cass. ling. Gr. et Lat. p. 113., qui primus male ab aliis permixta scite segregavit; cll. Voss. hymn. Hom. Cer. p. 36., qui in eo falsus est, quod *γίο, γίν* formas in usu

fuisse arbitratur, quae Hesych. s. lit. $\overline{\gamma}$ posuit, quo digammate notata indicaret. Ibycii autem loci emendationem male cessisse Hartungo putamus. Is quum in relicuis scripturas Mehlhornii secutus sit, licet unum Ursinum citaverit, haec verba, de quibus omnis hic nobis institutus sermo est, ita refinxit, ut scriberet:

ἦ μὰν τρομέω γ' ἶν ἐπερχόμενον.

Raro enim poni *ἦ μὴν* non sequente particula *γε.* Idem monuerat Porson. in Eur. Phoen. 1638.[20]) Vellem non confudissent quae diversa sunt. *Ἦ μὴν* si est graviter confirmantis, nude ponitur non apposita particula restringendi *γε,* ut Soph. Phil. 593. *διώμοτοι πλέουσιν, ἦ μὴν ἄξειν,* ut recte scripsit Wunderus, aliter Herm. Viger. p. 825., cfr. Hom. Il. II, 272, 291.; quare frequentissimum in jurejurando, ut Xenoph. Hell. III, 4, 5; 6, cll. aliis exemplis ap. Blomf. Aesch. Sept. 513. Longe contra aliud est, ubi *ἦ μήν, ἀλλὰ μὴν* rell. ita usur-

---

20) Constat quam abusi sint olim potissimum viri docti particula *γε* ad versus suos fulciendos. Ita, ut hac occasione emendem, Archiloch. ap. Stob. p. 580. *τοῖσι δ' ἡδὺ ἦν ὄρος,* Valcken. conjecit *τοῖσι δ' ἥδιόν γ' ὄρος.* Alias correctiones Mehlhornius Anth. Lyr. p. 97. attulit: quibus addo infelicissimam Thom. Briggsii, qui ad Mosch. Id. V, 2. scribit *τοῖσι δ' ἡδὺ τῆν' ὄρος.* Scribimus *τοῖσιν ἁνδάνῃ δ' ὄρος.* Nam vix excusationem hiatus habet *ἡδὺ ἦν,* quod voluit Herm. El. doctr. metr. p. 49. Excivit tumultus particula *δὲ* tertio loco collocata, de qua re nunc omnia nota sunt.

pantur, ut et affirment rem aliquam et aliquid tamen eximant, quo affirmatio coerceatur. Quem usum in responsis maxime cerni, ratio ipsa docet, v. Hom. Il. VII, 393. *οὔ φησιν δώσειν. ἦ μὴν Τρῶές γε κέλονται*, cll. Pind. Nem. VIII, 28. Unde de nostro loco judicium ferendum est. Ceterum Max. Schmidt. de pron. Gr. et Lat. p. 15. reprobata Hartungi emendatione in eandem correctionem incidit, quam Koenium huic loco admovisse supra notavimus. Nam formam *ἴν* apud scriptores Graecos, qui supersunt, frustra quaeri censet. — *ἐπερχόμενον.* Procl. ejusque interpres *ἐπερχόμενος.* — 4. *ὥστε φερ.* Proclus *ὥς τις* vel errore vel quod ob seq. *ἔβα* certum quendam equum designari censeret. Intp. Lat. *ὅθεν* videtur habuisse. — *ἀεθλοφόρος. ἀεθλόφορος* Siebenk., Fior. Intellige *τὸν τὰ ἔπαθλα ἀπενεγκάμενον*, ut loquitur Zonar. I, p. LXXXI. Verba *φερέζ. ἵππ. ἀεθλ.* copula non astricta verte: equus jugatus, qui praemia reportavit; cfr. de usu Pindarico Dissen. Pyth. IX, 6. Pertinet hic locus ad secundum ordinem quem posuit Dissenius. — *ποτὶ γῆρᾳ.* Ita recte Huschk.; *ποτὶ γήραϊ* relicui omnes praeter Mehlh., qui scripsit *ποτὲ γῆρᾳ.* Intellige autem equum senio proximum, sive ut Platonis utar verbo *πρεσβύτερον.* — 5. *ἀέκων.* Ita Fior., Bekk., Roch., Boiss., Huschk., et ita emendavit Heindorf. ad Plat. l. c.; *ἄκων* Mehlh.; *ἀσκῶν* Darmst., Urs., Ruhnk., Procl. ejusque interpres. *Ἀέκων* lege *δισυλλάβως.* — *σὺν*

ὄχεσφι. *Σὺν ὄχεσι* Urs., Ruhnk.; *σὺν συνόχεσι* Siebenk.; *σὺν ὄχεσσι* Roch.; *ὀχεῦσι* scripsit Fior. Relicui vere *ὄχεσφι*, quae forma ab Homero omnibus poetis familiaris est. Locus simillimus est Hom. Il. XXII, 22. *σευάμενος, ὥσθ' ἵππος ἀεθλοφόρος* (reportaturus praemium) *σὺν ὄχεσφιν*, v. Eustath. pag. 1254, 39. Rom., Huschk. Tibull. l. c. — *θοοῖς*. Darmst. *θέοις*; Procl. *θεοῖς*, quod expressit Intp. Lat., *θοοῖσιν* Huschk., *θοαῖς* Siebenkees. — *ἐς ἄμιλλαν.* *εἰς ἄμ.* Bekk., Procl.; *εἰς ἄμιλλ.* Darmst., Ruhnk., Siebenk.; *ἄμιλλ.* etiam Roch. — *ἔβα.* Ursin. ex altero cod. Vatic. a se consulto scripsit *ἔβαν*, idque exhibet Procli cod. B. deterior apud Cusinum. Relicui omnes verissime *ἔβα*, mutatum illud, ut videtur, ex ignoratione hujus usus aoristi Graecorum in re et facta saepe et fiente et futura: cujus significatus origo luculentissime perspicitur ex iis locis, ubi *πολλάκις*, *saepe* additum legitur, veluti Soph. Ant. 222. *ἄνδρας τὸ κέρδος πολλάκις διώλεσεν.* Unde proficisci debebat erudita disputatio Walchii in Tacit. Agric. p. 104 sqq.

Multorum imitatione nobilitatus hic equus Ibycius est. Enn. ap. Cic. Cat. Maj. 5.

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit,

v. Hessel. in Enn. p. 126.; Hor. I. Epp. 1, 8.

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.

Unde recte Huschk. Tibullo admovit I, 4, 31.

Quam jacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!

Hinc in proverbiorum vicem delapsum est, v. Zenob. Adag. IV, 41. *Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλ' ἐπίβαλε* (scr. *ἐπιβάλλε*), ubi Schottus citat Virg. Georg. III, 96.

Hunc quoque ubi aut morbo gravis aut jam segnior annis
Deficit, abde domo nec turpi ignosce senectae.

Contrarius plane Ibycio est equus Sophoclius, qui *ὀρθὸν οὖς ἵστησι*, licet senex sit, v. Soph. Electr. 25 sqq., Leopard. Emdtt. II, 25. Non recte Ennium statuit Columna et Gernhard. expressisse Sophoclem, quem Ibycum ante oculos habuisse patet. Est et aliud proverbium *ἵππου γῆρας*, de quo Arsen. Viol. p. 304. *ἐπὶ τῶν ἐν νεότητι εὐδαιμονούντων, ἐν γήρᾳ δὲ ἀτιμαζομένων.* Ceterum Mehlhorn. sine caussa signa lacunae post *ἔβα* posuit.

Fragm. III.

Athen. IX, p. 388. E.

Αἰεί μ', ὦ φίλε θυμὲ, τανύπτερος ὡς ὄκα πορφυρίς…

× — ⏑́ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑́

Semper me, o care anime, expansis alis veluti purpurea avis . . . .

Dixisse manifestum est poetam in hunc fere

modum: Instar avis in altum se efferentis, anime mi, rapis me in amores.

Αἰεί. Valcken. diatr. Eurip. p. 246, perperam haec verba Alcaeo assignans, v. ad frgm. XIII, legendum suspicatur *αἴρεις μ'*. Licet blandiatur, tamen in hac fragmenti brevitate manum abstinere satius est. Et istud *αἰεί* egregie quadrat ad declarandum animum poetae nunquam non Amori militantem. — *ὦ φίλε θυμέ.* Libri *οὔ με.* emendavit Valckenaerius l. c. Idem de allocutione animi, *φίλε θυμέ*, dixit in Eurip. Hippol. 199., Liebel. Archil. p. 105. et de Tragicis Seidl. Eurip. Iph. Taur. 818. Quod ut apud serios scriptores ἦθος orationi conciliat, ita in jocum detrahitur Aristophani Acharn. 480. — De forma *ὄκα* Simonidi quoque usurpata v. Mehlhorn. Anacreont. p. 208. Cod. B. *ὁκηπορφυρίς*. Voluit forsitan *ἁλιπορφυρίς*. De avi ista v. Athen. l. c.

Fragm. IV.

Athen. XIII, p. 564, F.; Eustath. Hom. Od. p. 1558, 17. Rom.

Εὐρύαλε γλυκεῶν Χαρίτων θάλος,
καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις
ἅ τ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.

–́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — — –́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓

Euryale, dulcium Gratiarum germen, pul-

chricomarum cura, te quidem Venus et mite tuens Suada roseis in floribus educarunt.

Laudatis versibus aliquot ex Cyclope Philoxeni subjungit Athenaeus: *τυφλὸς δὲ ἔπαινος καὶ κατ' οὐδὲν ὅμοιος τῷ Ἰβυκείῳ ἐκείνῳ, Εὐρύαλε* sqq.

V. 1. Fiorill. obss. p. 69. ab initio ὦ praefixit solita temeritate. Probavit Schweigh., quia facile potuerit excidere. — *γλυκεῶν.* Libri vett. omnes et Eustath. *γλαυκέων.* Jacobs. Anthol. I, 1, p. 102. *γλυκέων,* sequuntur Schwgh., Fior., Boiss., Wuestemann. Theocr. p. 485, in Jacobsii verba jurare solitus. At nulla est caussa, cur poetam nomen femininum cum adjectivo masculo consociasse putemus. Nos igitur non tam ob sensum, qui optimus inest in voce *γλαυκέων,* quam metri gratia scripsimus *γλυκεῶν,* id ut correptum esset ex *γλυκειῶν,* de qua re constat. — *Χαρίτων.* Urs. *χαρίθων.* Literam majusculam adoptavimus a Steph., Boiss., Dindorfio. — *θάλος.* Ita recte codd. A. B. C., Steph., Urs., Boiss., Mehlhorn.; *θάλλος* cod. P. V. L. rell.; *θάλαμος* Eustath., quod ab omni intellectu destitutum retinuit Nitzsch. in Hom. Odyss. VI, 178., qui hoc frgm. male in duo frustula dissecuit, post *μελέδημα* aliud frgm. incipere ratus. *Θάλος Χαρίτων* est formosus adolescens, ut Theocr. XXVIII, 7. Nicias *Χαρίτων ἱερὸν φυτόν,* cfr. Valckenaer. Callim. Eleg. p. 153. Apud Aristoph. Lysistr. 973. juvenis amasium appellat *Κύπριδος ἔρνος, Χαρίτων θρέμμα.* Similia

multa, ut *θρέμμα Μουσῶν*, Himer. or. XVI, 7, ex Simonide puto; *ἔρνος*, v. Valcken. Eur. Phoen. 630; *πτόρθος*, Porson. Eur. Hec. 20. Nam qui virtute aliqua conspicui essent, iis id Deorum Dearumve illius praestantiae praesidum munere obtigisse poetae fingunt. — 2. *καλλικόμων*. Fiorillo *καὶ καλλ.*, longe pessime. Aut legendum praecipit *θάλλος καλλιπλοκάμων μελ.*, metri sui gratia; bacchatur. — *μελέδημα*. Pind. Ol. X, 59. *νέαισίν τε παρθένοισι μέλημα*; Parthen. frgm. II. *σεμνᾶν Χαρίτων μέλημα τερπνόν*. Aristoph. Lysistr. 973. *ὦ χρυσοδαίδαλτον ἐμὸν μέλημα*, cfr. Coraes. ad Heliod. III, 3, 11; Mehlhorn. Anacreont. p. 183 sq. Boeckhius ad Pind. Ol. I, 88. Ibycium locum memorans *καλλικόμων* rettulit ad *Χαρίτων*. Quae ut *καλλικ.* dicantur, h. l. nequeunt; quasi poeta distinguere voluisset inter Gratias dulces et comatas. Unius versiculi lacunam post *θάλος* cum Hermann. Epit. doctr. metr. §. 302. statuit Mehlh. Alii nomen ad *καλλικ.* a librariis omissum reposuerunt aliud; Jacobs. l. c. *μελέδημ' Ἐρώτων*, qui vereor ut dicantur *καλλίκομοι*. Dalecampius *Νυμφῶν*, ut sunt apud Horat. I carmm. 4. 5, *junctae Nymphis Gratiae decentes*, quae ab h. l. alienissimae sunt. Boissonad. *νεανίδων*, quod sensui aptissimum metri integritatem pessumdat. Intellige pulchricomarum virginum *cura* (qua voce eodem modo utuntur Latini, v. Anthol. Lat. I, p. 17.). Nam crines artificiose adornati maximum ornamentum vir-

ginibus, unde Eur. Phoen. 231. *παρθένων χλιδὰν* dixit. Cfr. Locell. Xenoph. Eph. p. 122 sq. — *σὲ μέν.* Cod. P. *σὺ μέν.* — 3. *ἀγανοβλέφ. Πειθώ.* Suada, quam Sapph. frgm. CXXVI. Neue., Aesch. Suppl. 1021. filiam fecere Veneris, comitatur matrem ut ministra, quae in amores pelliciat, cfr. Boeckh. Expll. Pind. Pyth. IX, 40., Jacobs. Del. Epigr. IV, 29., Coluth. Rapt. Hel. 26.; de Latinis poetis v. Schmidium Hor. I Epp. 6, 38. Athenis Venus *πάνδημος* et *Πειθὼ* junctim cultae, Paus. I, 22, 3. Sequuntur artifices, v. Mueller. Archaeol. §. 278, 5. Suada *ἀγανοβλ.* est, quandoquidem oculis conciliatur amor. Unde Herod. V, 18. pulchras mulieres ingeniose *ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν* nuncupat. Eurytus Lyricus ap. Laur. Lyd. de menss. p. 282. *ἀγαλμοειδὴς Ἔρως.* Meinek. quaestt. scenn. I, p. 24. *ἀγλαομειδής.* Malim *ἀγανομειδὴς Ἔρως,* ut Sappho ap. Alcaeum frgm. XLII. Matth. *μειλιχόμειδε* invocatur. — *ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι. Πειθωδωρέοισιν* cod. B.; *ἐν* omisit cod. C. et cum Eustath., quem perstrinxit Porson. Eur. Med. 629, Adverss. p. 119. Lips., Nitzschius l. l. — *θρέψαν. Τρέψαν* L., quod servavit Fiorillo; *δρέψαν* errore typoth. Steph. — In rosis nutritus fingitur Euryalus, quia flos pulcherrimus Veneri sacer, v. Schrader. in Mus. p. 178. Carmen cantatum videtur in convivio, quo Euryalus rosis tempora vinctus, ut fieri solebat, v. Hor. I. carmm. 4, 6., astaret.

Fragmm. V. VI.

Ἡ εἰς Γοργίαν ᾠδή.

Apollon. Rhod. III, 158 sqq.

Βῆ δὲ διὲκ μεγάροιο Διὸς πάγκαρπον ἀλωήν.
Αὐτὰρ ἔπειτα πύλας ἐξήλυθεν Οὐλύμποιο
αἰθερίας· ἔνθεν δὲ καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος
οὐρανίη. δοιὼ δὲ πόλοι ἀνέχουσι κάρηνα
οὐρέων ἠλιβάτων, κορυφαὶ χθονὸς, ἧχί τ' ἀερθεὶς
ἠέλιος πρώτῃσιν ἐρεύγεται ἀκτίνεσσιν.
Νειόθι δ' ἄλλοτε γαῖα φερέςβιος ἄστεά τ' ἀνδρῶν
φαίνετο καὶ ποταμῶν ἱεροὶ ῥόοι, ἄλλοτε δ' αὖτε
ἄκριες, ἀμφὶ δὲ πόντος ἀν' αἰθέρα πολλὸν ἰόντι.

Scholl. Paris. et vulg. haec est annotatio in hunc locum: *Διὰ τούτων τῶν στίχων παραγράφει*[21]) *τὰ εἰρημένα ὑπὸ Ἰβύκου ἐν οἷς περὶ τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς εἶπεν, ἐν*[22]) *τῇ εἰς Γοργίαν*

---

21) Verbum *παραγράφειν* rarius usurpatum hoc imitandi significatu pro vv. *παραφράζειν*, *παραποιεῖν* docta Schaeferi sollertia h. l. p. 228. illustravit. Putaverim tamen non sine caussa Scholiastam hoc v. usum esse, quod strictiorem pressioremque imitationem designare videatur, quae non in singulis quibusdam arripiendis acquiescat, sed longiores verborum sententiarumque comprehensiones amplectatur. Quod non ita intellectum velim, quasi Apollonium verba ipsa in usum convertisse accusem, quod non poterat; quanquam est, ubi aliorum poetarum integra verba transscribat, v. Weichert. de vit. et carmm. Ap. Rh. p. 206.

22) Vulgo *ἐπὶ*, ex seq. *ἐπιφέρει* alieno loco intrusum. Verum est ex Scholl. Pariss.

ᾠδῇ. καὶ ἐπιφέρει περὶ τῆς Ἠοῦς ὡς ἥρπασε Τιθωνόν.

Exponit praeclara hac descriptione Apollonius, ut Amor cum Ganymede in Olympo tesseris animum exhilarans precibus motus Veneris descendat ad Medeam Jasonis desiderio incendendam. Jam inquiramus quale fuerit carmen Ibycium in Gorgiam conscriptum, qui ignotus homo est neque memoratus Fossio de Gorg. Leont. p. 38. In quo carmine quum raptus Ganymedis atque Tithoni diserte dicatur infuisse, coarguere videtur haec memoria deorum amore domitorum scriptum fuisse carmen in hominem amore victum et ipsum. Quae caussa est, ut sententiarum complexus in hunc fere modum absolutus nobis fuisse videatur: »Amoris vinculis irretitus mi Gorgia, noli reluctari Deo, qui *ἀνίκατος μάχαν* est. Quid enim mirum, si mortales subiguntur numini potentissimo, cui ne Dii quidem ipsi resistant: Jupiter formosum rapuit Ganymedem, Tithonum sibi adjunxit Aurora.« Uti fere ratiocinatur Sophocles ap. Stob. LXIII, 25.

Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται
οὐδ᾽ αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
ψυχὰς χαράσσει κἀπὶ πόντον ἔρχεται.
καὶ τόνδ᾽ ἀπειργεῖν οὐδ᾽ ὁ παγκρατὴς σθένει
Ζεύς, ἀλλ᾽ ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται. —

Quaeritur jam, qua ratione id in carmine Ibycio infuerit, quod sumptum inde Apollonio testantur Scholiastae. Exposuisse videtur poeta Rhe-

ginus, ut sive Jupiter sive alius Deus, cui id muneris injunctum esset, descenderit in terras per tramitem illum caelestem ad rapiendum Ganymedem. Postea Tithoni raptum subjunxit, quem quia non transtulerat in carmen suum Apollonius, *ἐπιφέρειν περὶ τῆς Ἠοῦς* poetam Rheginum dixit Schol. Jam si ita comparatum fuit carmen Ibycium, ut Jupiter amore captus Ganymedem in caelestes sedes evocasse describeretur, qualibus exemplis homines suos amores defendere solebant; v. Callim. epigr. LVI., jam non Pindarus primus est, qui delicias Jovi Ganymedem fuisse perhibuit, non fuisse a poculis, quod moneo ob Boeckhium in Plat. Min. et Legg. p. 106. Quanquam et ipse, ut solebant pulchri pueri, pocula ministrare potuit. Ut in hac quoque re non defecerit ab exemplari suo Apollonius, qui paucis versibus ante ita scribat, v. 115.

Γανυμήδεα, τόν ῥα ποτὲ Ζεὺς
οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισιν,
κάλλεος ἱμερθείς.

Ibi Schol. vulg. *Τὸν δὲ Γανυμήδην Ὅμηρος οὐχ ὑπὸ Διὸς ἡρπάσθαι, ἀλλ᾽ ὑπὸ θεῶν φησίν· οὐδὲ δι᾽ ἔρωτα καὶ πόθον, ἀλλ᾽ ὥστε Διῒ οἰνοχοεύειν*, cfr. Il. XX, 234., quem versum ideo *διπλῇ* notatum tradunt Scholl. Venet., quia *ἐναντιοῦται τοῖς νεωτέροις*. Quae quum Apollonius aperte ex eodem carmine Ibyci hauserit, jam non errabimus, qui Ibyco ea vindicare conemur, quae »sine dubio ex

Lyrico sumpta,« verba Heindorfii sunt, servavit Plat. Phaedr. p. 225, C. Ὅταν δὲ χρονίζῃ τοῦτο δρῶν καὶ πλησιάζῃ μετὰ τοῦ ἅπτεσθαι ἔν τε γυμνασίοις καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ὁμιλίαις, τότ᾽ ἤδη ἡ τοῦ ῥεύματος ἐκείνου πηγή, ὃν ἵμερον Ζεὺς Γανυμήδους ἐρῶν ὠνόμασε, πολλὴ φερομένη πρὸς τὸν ἐραστὴν ἡ μὲν ἐς αὐτὸν ἔδυ et sqq. Quae omnia conspirant cum iis, quae et in Ibycio carmine infuisse veri simillimum est et quae inde hausit Apollonius. Jam vero si Plato, quae nostra sententia est, carmen Ibyci respexit, exposuerit poeta quomodo Jupiter paullatim igni amatorio incaluerit, ipse forsitan deus loquens inductus, quod docere videntur verba Platonis. Qui utrum ipse rapuerit apud Ibycum an alii alicui deorum id negotii imposuerit, non est apertum: hoc patet, neque aquilam hoc munere fungi potuisse apud Ibycum: nam avis per aera labitur, poeta tramitem memoravit. Fortasse poeta novator Amorem demissum fecit; cfr. de diversitate narrationum Hemsterhus. in Lucian. II, p. 257. Bip., Heyn. Apollod. p. 294.[23]) Sunt enim hae fabellae ex iis, in

---

23) Simplicissime Homerus deos rapuisse dicit; alii alios. Alcaeus comicus in fabula, quam *Ganymedes* inscripserat, Vulcanum sedulum illum ministrum caelitum a Jove huic muneri praepositum fecit, qui scurra Olympius haud raro civium suorum contristatos animos reparavit, omnibus ministeriis praefectus, ut in Iliad. I Hebae officio fungitur cum summa omnium hilaritate. Ex fabula illa Al-

quibus immutandis poetarum licentiae impune grassari licebat. Neque quo loco raptum induxerit scimus: diversae enim terrae de hoc honore certabant, velut Chalcis, qui homines in amores effusi, v. Meinek. Euphor. p. 10. Quanquam quod cum Tithono composuit a Troica cum fabula stetisse efficere videtur. De Tithono eleganter Nonn. Dionys. XV, 428.

Τιθωνὸς ῥοδόεις πέλε νυμφίος, ὃν διὰ μορφὴν
δίφρον ἑὸν στήσασα φαεσφόρος ἥρπασεν Ἠώς.

Cfr. Heyn. Apollod. p. 300., Nitzsch. Hom. Od. V, 1. Dignissimus autem est qui adhibeatur locus hymn. in Vener. 202 sqq., ubi Venus post amplexum solatur Anchisen eo, quod Troes perpetuo fuerint *ἀγχίθεοι μάλιστα καταθνητῶν ἀνθρώπων.* Quod Ganymedis atque Tithoni exemplo comprobat, ut non inepta conjectura sit, si quis Ibycum ex illo loco hos potissimum Gorgiae proposuisse censeat. — Quae ab Apollonio v. 159. memorantur *πύλαι Οὐλύμπου αἰθέριαι* diversae sunt ab Homericis. Apud Homerum enim Olympi montis Thessali in quo dii solent habitare caput surgit in caelum: portae non caeli sunt, sed montis Olympi, v. Il. V, 749; VIII, 393, 411., Voelcker. geograph.

---

caei haec memoravit Antiatt. in Bekk. Anecdd. p. 102, 29., quibus cunctantem Vulcanum et moras nectentem pater hominum et deorum incessit:

Καταχωλὲ, θᾶσσον, ἢ κεραυνοπλὴξ ἔσῃ,
σκώπτων Ἥφαιστον ὁ Ζεύς φησί.

Homer. p. 15 sqq. Longe aliter Ibycus Apollonianus: non jam mons Thessalus deorum est habitaculum, sed caeli late patens planities, duobus sustentata vel cacuminibus montium vel columnis, Olympi nomine signata et ipsa, v. Voss. epp. mythol. I, 27, p. 170 sqq. Hinc *πύλαι* illae *αἰθέριαι*, hinc via illa *οὐρανίη*, deducens de caelo, ad orientem conversa solem, uti colligitur ex v. 162. Eandem viam novit Quint. Smyrn. XIV, 223.

αἶψα δ' ἐς Ἠλύσιον πέδον ἤλυθον, ἧχι τέτυκται
οὐρανοῦ ἐξ ὑπάτοιο καταιβασίη ἄνοδός τε
ἀθανάτοις μακάρεσσιν.

Eademque via Themis a Parcis in Olympum evehitur apud Pindar. frgm. hymn. II. *ποτὶ κλίμακα σεμνὰν ἆγον Οὐλύμπου λιπαρὰν καθ' ὁδόν.* — V. 161. *δοιὼ δὲ πόλοι ἀνέχουσι κάρηνα οὐρέων ἠλιβάτων.* Stetit in his Ibycus cum Apollonio ab antiquiorum partibus poetarum, qui caelum summis cacuminibus montium, qui fere *κίονες* dicuntur, nixum statuunt, velut Hom. Od. I, 52. Atlas humeris sustinet *κίονας αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.* Ipse ipsum caelum ap. Hes. Theog. 517. *κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτῃσι χέρεσσιν.* Quem secutus Aeschylus est Prom. 426. cll. v. 349, ubi verissima scriptura Robortelli *κίων.*[24]) Cfr. Schol.

---

24) Verba prioris loci haec sunt:
Ἄτλανθ', ὃς αἰὲν ὑπείροχον σθένος
Κραταιὸν οὐράνιόν τε πόλον νώτοις ὑποστενάζει.

Eur. Hipp. 742, Voelcker. geogr. Hom. p. 101. In eo tamen forsitan Apollonius a poeta Rhegino declinavit, quod *οὔρεα ἠλίβατα* substituit *κίοσιν ῥαδινοῖς*, qui erant apud Ibycum. Nam non est dubium, quin ad *τὴν ἐπὶ Γοργίᾳ ᾠδὴν* spectet quod refert Schol. Apoll. Rh. III, 106. *ῥαδινῆς χειρός.* 25) *τρυφερῆς. Ἀνακρέων δὲ ἐπὶ τάχους ἔταξε τὸ ῥαδινὸν, ῥαδινοὺς πώλους. Ἴβυκος δὲ ἐπὶ τῶν τὸν οὐρανὸν βασταζόντων κιόνων ῥαδινοὺς ἀντὶ τοῦ εὐμεγέθεις. Στησίχορος ἐπὶ τοῦ εὐτόνου, ῥαδινοὺς δ' ἐπέπεμπον ἄκοντας*, v. frgm. LXXVII.

Praeclare dictum *ὑποστενάζει*, in quo verbo cum sustinendi notione inest tolerandi et prae labore gemendi significatus. Idque transitivo sensu usurpatur, ut multa ejusmodi verba. Non juvit locum Hermannus Opuscc. I, p. 114. *ὑποστεγάζει* reponens, quod in contexta adeo recepit Dindorfius. Mire Reisigius locum, qui est integerrimus, constituit, cujus in Prometh. animadverss. publicavit editor Halensis Apparat. crit. et exeg. in Aesch. vol. I.

25) Theogn. 930. Welcker. *ῥαδιναὶ χέρες.* Hom. hymn. Cer. 193. *ῥαδινοὶ πόδες*, quo spectat Phrynich. in Bekk. Anecdd. p. 61, 56. *ῥαδ. πόδας. τοὺς ὀρθοὺς καὶ ἁπαλοὺς καὶ εὖ πεφυκότας.* Cfr. Eustath. Il. p. 1316, 63. Rom. *ἱμάσθλη ῥαδινή· ἡ λεπτὴ καὶ μακρὰ κατὰ τοὺς παλαιούς. Ῥαδινὸς* primaria significatione est i. q. *mollis, tener*, nobis *schlank.* Quum autem in mulieribus praesertim proceritas maxime placeat, usu factum est, ut universe in pulchritudinis atque elegantiae significatum detorqueretur; ut *ῥαδινὰ ὄσσα, στόμματα.* Ceterum dixit Ibycus *κίονες* masc. genere imitatus Homerum.

Klein. Paullo aliter Scholl. Paris. Nam ut montes *κίονες* dicantur, ut ap. Pind. Pyth. I, 19. Aetna *κίων οὐρανία*, vix poterant *ῥαδινοὶ κίονες* vocari. — V. 165. *ἐρεύγεται* omnium librorum scripturam praeter Guelf. et Reg. D, qui habent *ἐρεύθεται*, intemperanter Wellauerus sensu cassam pronunciavit. Interpretare *se diffundit*. Nam sol non potest dici *ἐρεύθεσθαι*, quo oriente terra potius et aether *ἐρεύθεται*. Eadem verba confusa ap. Sapphon. frgm. XXXV, ubi injuria *ἐρεύγεται* Neuium defendisse evincunt quae integriora protulit Seidler. Mus. Rhenan. 1829, II. p. 292.26) — V. 165. *ἱεροὶ ῥόοι* offenderunt Spitznerum de vers. heroic. p. 76. Qui quum Epicis constanter dici *ὁ ῥόος, αἱ ῥοαὶ* observasset, formam nec ap. Apoll. alibi lectam in eo aliquid praesidii habere arbitratus est, quod quasi circumloquendo fluvii ipsi hisce

---

26) Haec sunt verba Sapphonis ap. Scholl. Hermogenis a Walzio edendum, quae sunt ex carmine populari ut vel conformatio verborum arguit:

Οἷον τὸ γλυκύμαλον ἐρεύθεται ἄκρῳ ἐπ' ὄσδῳ,
ἄκρον ἐπ' ἀκροτάτῳ, λελάθοντο δὲ μαλοδροπῆες,
οὐ μὰν ἐκλελάθοντ', ἀλλ' οὐκ ἐδύναντ' ἐφικέσθαι.

Populare autem carmen quale intelligam docebit Welcker. in censura Sapph. Neuii, quae legitur in Jahn. Annall. philoll. 1828, II, 4. p. 402 sqq., qui vir praeclare meritus est de hoc genere poesis a situ atque tenebris in lucem revocando. De Herm. Koesteri libello, quem *de cantilenis popularibus cett. Graecor.* scriptum Berolini 1831. edidit, alio loco dicam.

exprimerentur. Fit autem idem, si scripseris *ῥοαί*. Quare nisi id reponendum est, ita decernendum arbitramur, ut Apollonium ab Ibyco huic normae non astricto mutuatum censeamus.

Fragm. VII.

Athen. XV. p. 681. D.

Καὶ Ἴβυκος·

Μύρτά τε καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος,
μᾶλά τε καὶ ῥόδα καὶ τέρεινα δάφνα.

–́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑̄
–́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —

Myrta et violae et helichrysus, poma et rosae et tenera laurus.

Locum habuisse videntur haec verba in describenda *φυλλοβολίᾳ*; nam quo minus de floribus nectendae coronae nexaeve interpretere, prohibent quae altero versu commemorantur *μᾶλα*. Ea autem usitata fuisse in *φυλλοβολίᾳ*, de qua adi Eratosth. ap. Schol. Eur. Hec. 574., Boeckh. Pind. P. IX, fin., Boisson. Nicet. Eugen. IX, 296., apparet ex Stesich. frgm. XLVI. Klein.

Πολλὰ Κυδώνια μᾶλα ποτερρίπτουν ποτὶ δίφρον ἄνακτι,
πολλὰ δὲ μύρρινα φύλλα
καὶ ῥοδινοὺς στεφάνους ἴων τε κορωνίδας οὔλας.

Habes fere eosdem flores atque apud Ibycum. Rettulit Stesichoria Kleinius ad nuptias Menelai et Helenae. Quod autem haec verba imitatum censet

Pindarum frgm. Dithyr. III, 15. Boeckh. prave interpretatur imitationem poetarum. Similia verba, ubi similis res. Propius ad Stesich. accedit Pind. P. IX, 122. *πολλὰ μὲν κεῖνοι δίκον φύλλ' ἔπι καὶ στεφάνους· πολλὰ δὲ* sqq. Quod ap. Stes. post *πολλὰ* habebatur *μὲν* cum Blomf. expunxi, v. Schaefer. Soph. Phil. 623. Ad vv. *κορωνίδας οὔλας* cfr. Buttm. Lexil. I, p. 188. Ad Ibycum revertimur.

V. 1. De *ἑλιχρύσῳ* v. Ath. l. c., Schol. Theocr. I, 30. *εἶδος φυτοῦ, οὗ τὸ ἄνθος ὅμοιον κρόκῳ καὶ οἷον χρυσοειδές.* — 2. *Μᾶλα.* Boisson. *μᾶζα*, errore puto. — *τέρεινα δάφνα.* Legebatur *τέρινα*, quod Canterus emendavit. Sequuntur Steph., Cas., Urs. Non satisfecit Toupio. Qui quum ap. Canterum Novv. lectt. p. 157. scriptum vidisset *τέρινα δάφηα*, emendavit *καὶ θερινὰ δ' ἴφυα*, v. Toup. emdtt. in Hesych. et Suid. IV, p. 175. Antea luserat *καὶ πτερινὰ δάφνα*, quia ap. Polyb. VI, 21. est *πτέρινος στέφανος*, v. emdtt. in Hes. rell. II, p. 508.

Fragm. VIII.

Herodian. *περὶ σχημάτων* in Villois. Anecdd. Grr. II, p. 95.

Τᾶμος ἄϋπνους κλυτὸς ὄρθρος ἐγείρησιν ἀηδόνας.

–́ ◡ ◡ — –́ ◡ ◡ — ◡ ◡ — –́ ◡ ◡ — ◡ ◡̄

Tunc insomnes clara aurora suscitat luscinias.

Protulit hunc versum Herodianus schematis

Ibycii caussa, de quo dictum Prolegg. p. 65 sqq. Scribebatur *ἄϋπνος*, quod mutavimus, quia neque *ὄρθρος ἄϋπνος* poterat dici et *ἀηδόνας* epitheton desiderat. Similis sententiae conformatio ap. Soph. Electr. 17. *ἤδη λαμπρὸν ἡλίου σέλας Ἑῷα κινεῖ φθέγματ' ὀρνίθων σαφῆ.* Nam *ἐγείρησιν ἀϋπν. ἀηδ.* est *excitat luscinias, ut somnum mittant,* praegnanter dictum. — *κλυτὸς ὄρθρος.* Hunc locum indigitat Plutarch. quaestt. Sympos. VIII, 3. *τὸν ὄρθρον ὁ Ἴβυκος οὐ κακῶς κλυτὸν προσεῖπεν, ἐν ᾧ κλύειν καὶ ἤδη φθέγγεσθαι συμβέβηκεν.* Etym. M. p. 440, 53. *ἠώς. αἰολικῶς αὔως, ἀπὸ τοῦ αὔω, τὸ φωνῶ· αὔει γὰρ τὰ ζῶα, ὅ ἐστι καλεῖ. καὶ αὔουσι πάντα δι' αὐτῆς· καὶ γὰρ κατὰ τοῦτο καὶ τὸν Ἴβυκον εἰρηκέναι κλυτὸν ὄρθρον, τὸν τοῦ κλύειν αἴτιον.* Adde Schol. Ambros. Hom. Od. I, 364. p. 323. Buttm. *ὄνομα κλυτόν. οὐκ ἔνδοξον, ἀλλ' ἐξ οὗ καλοῦμαι, ὅ ἐστιν ἐπώνυμον, ὡς καὶ Ἴβυκος· κλυτὸς ὄρθρος, ὁ καλούμενος.* Legebatur *Ἴβυως*, corr. Buttm. praef. p. IX. Quorum Grammaticorum unusquisque voci *κλυτὸς* eam vim tribuerunt, quam habere nequit.[27]) Nam quum primaria vocis significatio ea sit, ut *κλυτὸς* dicatur is de quo multa audiuntur, progressu aetatis ita detritus is sensus est, ut prae-

---

27) Similiter intellexisse videntur Grammatici glossam apud Hesych. *κλυτὸς ὄρνις. ὁ ἀλεκτρυών*, ut sit *qui mane vocem mittit.* Nam hinc Soli sacra avis, v. Paus. V, 25, 5.

stantiae et pulchritudinis et splendoris notionem retinuerit, ut ap. Homer. *κλυτὰ τεύχεα, δῶρα, ἔργα,* v. Buttm. Lexil. I, p. 93 sq. Neque est cur apud Ibycum aliam vocis potestatem obtinuisse putemus. Ceterum Fiorill. obss. in Athen. p. 73. post *ὄρθρον* ad versum labantem scilicet reficiendum *κεν* addidit, quo ignorabat et perverti sensum et leges linguae Graecae violari.

Fragm. IX.

Etym. Gud. p. 98, 31.

Ἄτερπνος· οὕτως ὁ ἄγρυπνος παρὰ Ῥηγίνοις, ὡς καὶ παρ' Ἰβύκῳ καὶ Στησιχόρῳ· οὐκ ἐστὶ δὲ ἡ φωνὴ κατὰ στέρησιν τοῦ τερπνοῦ, ὡς ὁ ἄκακος καὶ ὁ ἄφιλος καὶ ὁ ἄσθενος (scr. *ἀσθενής*)· *δεῖ οὖν ἀποδεῖξαι τὸ ἀφελόμενον ῡ. ἔστι γὰρ κατ' ἐντέλειαν ἀτέρυπνος, ὁ χωρὶς ὢν ὕπνου.* Eadem fere omissis testimoniis poetarum Etym. M. p. 163, 8. De Stesichoro, cujus hoc frgm. omisit Kleinius, quid judicaremus explanatum in Prolegg. p. 41. est. Licet autem *ἄτερ* alias non inserviat compositionibus, tamen noli dubitare de fide Grammaticorum, ut fecit Stephan. Thes. Ling. Gr. p. 9294. Lond. »*ἄτερπνος* quasi *ἀτέρυπνος*, si non mentiuntur vett. lexica.« V. Prolegg. p. 70. Reposui autem frgm. h. l., quia fieri potest, ut *ἀτέρπνους* lectum in frgm. VIII. librarii obliterarint interpretatione interposita.

Fragm. X.

Schol. Ap. Rh. III, 26.

Ἀπολλώνιος μὲν Ἀφροδίτης τὸν Ἔρωτα γενεαλογεῖ· Σαπφὼ δὲ Γῆς καὶ Οὐρανοῦ (frgm. XXIV. N.) *Σιμωνίδης δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος·*

Σχέτλιε παῖ δολόμηδες Ἀφροδίτας,
τὸν Ἄρει δολομήχανος[28] *τέκεν.*

Ἴβυκος δὲ καὶ Ἡσίοδος (Theog. 120.) *ἐκ Χάους λέγει γενέσθαι τὸν Ἔρωτα. ἐν δὲ τοῖς εἰς Ὀρφέα Κρόνου γενεαλογεῖται·* (frgm. XXII. Herm.)

Αὐτὰρ Ἔρωτα Κρόνος καὶ πνεύματα πάντ᾽ ἐτέκνωσε.

Eudoc. Viol. p. 158. *Ἴβυκος καὶ Ἡσίοδος ἐκ Χάους λέγουσι τὸν Ἔρωτα γεννηθῆναι.*

Ut mittamus placita philosophorum eorumque poetarum, qui philosophiae praecepta carminibus comprehenderunt, cfr. Intpp. Plat. Symp. p. 178, B., Gesner. Orph. Argon. 15., Lobeck. Aglaoph. I, p. 329., patet poetis pro condicione rei in talibus licuisse libere fingere quae e consilio suo essent, v. Plut. Amat. II, p. 765, E. Et statuerunt alii aliter, quae non injucundum fuerit paucis commemorasse. Simonides Veneris et Martis dixit natum in infausto amore, crudelitatem Amori ex-

---

28) Vulgo *δολομηχάνῳ*, quod non aptum Marti epitheton est, aptissimum Veneri *δολοπλόκῳ* ap. Sapph. I, 2. Summa autem vis in eo posita est, ut dolosa mens Veneris efferatur; quare emendavimus.

probrans;[29]) Ibycum et Sapphonem conjicias ita pronunciasse in hac fere sententia: Multum sibi juris arrogat Amor magnaque pollet potentia: antiquissimus enim deus est ex ipso Chao oriundus, sive, ut Lucian. dial. deor. 2. dicit, *ἀρχαιότερος Ἰαπέτου*. Ludibundus igitur Ibycus aliisque ductus rationibus idem professus est atque Hesiodus. Alcaeus fragm. XXIV. Matth. Zephyri et Iridis filium fecit, quia, ut ait Grammaticus Etym., verno tempore *τὰ ἐρωτικὰ θερμότερα ἐστί*, cfr. Matthiam. Ingeniose alii parentem ignorari fingunt, v. Theocr. XIII, 2. *ᾧτινι τοῦτο θεῶν ποκα τέκνον ἔγεντο.* Alia placita v. in Argum. carm. Theocr. et ap. Valcken. diatr. Eurip. p. 161.

29) Aliter decrevisse Simonidem testatur Serv. Virg. Aen. I, 664. »Simonides dicit, Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum. Quamquam alii dicant ex ipsa et Marte; alii ex ipsa et Vulcano; alii vero Chai et primae rerum naturae eum esse filium velint.« Idem exhibet Mytholog. II. in Maji nov. coll. class. scrr. ex codd. Vatic. III, fab. 35. Jam potest statui variasse sententiam poetae, ut Sapphonem testatur Paus. IX, 27. *πολλά τε καὶ οὐχ ὁμολογοῦντα ἀλλήλοις ἐς Ἔρωτα ᾄσαι.* Deinde nec illud absonum fuerit suspicari, alium intellexisse Simonidem Servium. Nisi satius est ita decidere, ut Servium Scholl. Apollonii non satis diligenter compilasse arbitremur, quum in relicuis fere conspirent.

Fragm. XI.

Athen. XIII, p. 603, D.

Ῥαδαμάνθυος τοῦ δικαίου Ἴβυκος ἐραστήν φησι γενέσθαι Τάλων.

Agitur apud Athen. recensus heroum qui amoribus masculis indulserint. Ut censeas dicta Ibycia esse ad excusandos amores vel ipsius vel amici, quod suadet adjectum τοῦ δικαίου: ne is quidem abhorruit a lascivia amorum. Fuit autem Creta ab antiquissimis temporibus sedes hujus insaniae, cfr. Timaei frgm. CXXIII. Goell. τὸ παιδεραστεῖν παρὰ πρώτων Κρητῶν εἰς τοὺς Ἕλληνας παρῆλθε. Apud quos opprobrio adeo fuit non habere amatorem, Cic. Rep. ap. Serv. in Virg. Aen. X, 325., Ecl. II, 51; cll. Muell. Dorr. II, p. 290. Nomen autem Τάλως celebratissimum apud Cretenses, v. Heyn. Apollod. p. 89., Welcker. ad Schwenck. p. 265 sqq. Cinaethon ἐν τοῖς ἔπεσι teste Paus. VIII, 43, 2. fecerat Vulcani filium esse Rhadamanthum, Tali Vulcanum, Talum Cretis, ut avus amator nepotis fictus videatur Ibyco. Quoniam autem Talos non deliciae fuit sed amator, non cadit in id nomen, quod scripsit Welcker. Syllog. Epigr. p. 110. »Ἄνθης (ut alias Ἄνθευς, Ἄνθος et quae sunt simm.) apud Ibycum Rhadamanthi deliciae.« Qui error ei communis est cum Heynio atque aliis. 30)

30) Quod Heynius l. c. fabulam Τάλων Sophoclis exstitisse refert, in qua actum sit de Talo Gigante, qui Argo-

Fragm. XII.

Athen II, p. 39, B.

Ἴβυκός φησι τὴν ἀμβροσίαν τοῦ μέλιτος κατ' ἐπίτασιν ἐννεαπλασίαν ἔχειν γλυκύτητα, τὸ μέλι λέγων ἔνατον εἶναι μέρος τῆς ἀμβροσίας κατὰ τὴν ἡδονήν.

Eustath. p. 1633, 10. *τινὲς δέ φασιν, ὡς ὁ μελοποιὸς Ἴβυκος τὴν ἀμβροσίαν κατ' ἐπίτασιν ἐνναπλασίονα γλυκύτητα ἔχειν οἶδε πρὸς τὸ μέλι, λέγων αὐτὸ ἔνατον εἶναι μέρος* sqq. *Ἐννεαπλασίαν* L., Steph.; *ἐνναπλασ.* B. C. V. Urs.; *ἐνναπλασίονα* Eustathii est recentiorum scriptorum, velut pro *διπλάσιος διπλασίων*, cfr. V. D. in Ephemeridd. liter. Jenenss. 1818, nr. 43, p. 388. Quare quod in Arist. Eqq. 70. Dindorf. praef. p. VI. commendavit *ὀκταπλασίονα* pro scriptura librorum *ὀκταπλάσια, ὀκταπλάσιον*, servatum illud a Suida, id vereor ne eadem ratione aetati Lexicographi debeatur qua Eust. corrupit Athenaeum. — *ἔννατον*. L., Steph., Urs.; *ἔνατον* V., Eust., cfr. de his formis Schaefer. melett. critt. p. 32. Ceterum vix alias locum habebat haec declaratio quam in carmine ludicro.

---

nautas insulae Cretae appulsuros arcuisse traditur, fefellit eum prava lectio in Scholl. Ap. Rh. IV, 640., ubi legendum *ἐν Δαιδάλῳ* cum Brunckio, qui ex scholl. Plat. emendavit. Cfr. Dindorf. fragm. CLXXII, Welcker. Supplem. Trilog. Aesch. p. 64.

Fragm. XIII.

Athen. IX, p. 388, E.

Ἴβυκός τινας λαθιπορφυρίδας ὀνομάζει διὰ τούτων· Τοῦ μὲν πεταλοῖσιν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ξανθοῖσι ποικίλαι πανέλοπες αἰολόδειροι λαθιπορφυρίδες καὶ ἀλκυόνες τανυσίπτεροι.

Pro v. λαθιπορφυρίδας libri λαθιπόρφυρας et ita Steph.; λαθιπορφύρας Casaubonus. In verbis Ibyci pro v. λαθιπορφυρίδες, quae Schweighaeuseri est emendatio, A. P. αδοιπορφυρίδες; B. ἀδοιπ.; Steph. πορφυρίδες, licet supra λαθιπόρφυρας exhibuerit. Cujus in locum vocabuli quo minus substituantur πορφυρίδες, impedire τινας ab Athen. additum verissime judicavit Casaub. Is igitur edidit ἁλιπορφύρας — ἁλιπόρφυραι. Non assentior: agit enim hoc caput de porphyride avi ab porphyrione diversa ex sententia Callimachi; consentaneum igitur est speciem quandam porphyridis memoratam poetae esse. Quod judicium comprobant verba sqq. ap. Athen., quae vid. supra frgm. III. Schweighaeuseri autem inventum λαθιπορφυρίδες, probatum Boisson. et Dind., non est ferendum, quando formatio vocis omni caret specie veri. Nam adjectiva, quae cum λαθι composita sunt, eam vim habent, ut designent rem quae facit ut alicujus rei obliviscamur, ut λαθικηδὴς, λαθίπονος. Quod autem ait docuisse Athenaeum in superioribus amare hanc avem latere, fallitur; de porphyrione habet haec secutus Callimachum: τὴν τροφὴν λαμβάνει ὁ

πορφυρίων ἐν σκότῳ καταδυόμενος, ἵνα μή τις αὐτὸν θεάσηται. ἐχθραίνει γὰρ τοὺς προσιόντας αὐτοῦ τῇ τροφῇ. Unde apparet avem fuisse domesticam, quam non poterat Ibycus dicere consedisse in summis arboribus. Nos igitur utroque loco rescribimus *ἁλιπορφυρίδες.* In Alcman. frgm. XII. Welck. cerylus, qui mas est alcyonis, cfr. Scholl. Ar. Avv. 300, audit *ἁλιπόρφυρος εἴαρος ὄρνις.* Unde quum verisimile sit speciem avis illius a colore nomen duxisse neque non distinxisse poeta videatur inter alcyones et *ἁλιπορφυρίδας,* transpositis vocabulis scribendum proponimus: *ἀλκυόνες θ' ἁλιπορφυρίδες τε τανύπτεροι.* Nam hac forma, non *τανυσίπτερος* usus poeta est frgm. III. Quanquam non scripsisse ita defendimus, sed potuisse opinamur. — *'Επ' ἀκροτάτοισι.* Cod. Pal *ἐπακροτάτοισι* junctim. *Ξανθοῖσι* vulgo; cod. B. *ξανθίαι,* Boiss. *ξανθοῖσιν,* qui primus quidem metra describere conatus est, sed ut versus prorsus *ἀμέτρους* effinxerit. Metri gratia reposuimus *ξανθοῖς,* licet omnis fragmenti emendatio incerta fluctuet. — 2. *Ποικίλαι πανέλοπες.* Transponenda et haec vocabula censeo, licet alias non magnopere faveam decantatae huic panaceae, quo metro adaptentur, cui ita succurrimus, ut *παμποικίλοι* scribamus. De penelope avi, unde Penelopae nomen inditum volunt Tzetz. Lycophr. 792., Minuc. Apulej. de orthogr. p. 9. Osann., quae est ex genere anatum, vide Aristot. hist anim. VIII, 5, 8., p.

601. Schneider. In iis quae sequuntur turbas excivit Casaubonus. Is enim inter vv. *ἁλιπόρφυραι* et *πανέλοπες* lacunam notavit, excidisse ratus: *Ἀλκαῖος δὲ πορφυρίδων μνημονεύει.* »Verba,« ait, »quae sequuntur, esse Alcaei docet Schol. Ar. Avv. 1410.« Ibi Aristoph. Alcaeum ante oculos habuit, cujus hos versus protulerunt Scholl.:

Ὄρνιθες τίνες οἵδ᾽; ὠκεανῶ γὰρ περάτων ἄπο
ἦλθον πανέλοπες ποικιλόδειροι τανυσίπτεροι.

Quod ap. Matth. est frgm. LIII., qui *παννέλοπες* prave exhibet. Hanc Casauboni sententiam, quae mihi falsissima videtur, probasse Valckenaerium ex iis apparet, quae frgm. III diximus, quod frgm. et ipsum ex mente horum virorum Alcaeo assignandum est. Id autem quivis intelligit nullo pacto fieri posse; sunt quidem illa Alcaei similia Ibyciis; sed ne memoravit quidem neque *πορφυρίδας* neque *ἀλκυόνας*; Alcaeus *ποικιλοδείρους*, Ibycus *αἰολοδείρους* vocavit. Quod autem rem conficit, mentionem fecisse Ibycum penelopis docent Scholl. Arist. Avv. 1302. *Ὁ πηνέλοψ νήσσῃ μὲν ὅμοιον, περιστερᾶς δὲ μέγεθος· μέμνηται δὲ αὐτοῦ Στησίχορος καὶ Ἴβυκος·* (v. Stesich. frgm. XC. Klein.) *ὁ δὲ πηνέλοψ μείζων μὲν ἢ κατὰ νῆτταν ὅμοιον.* Neque eam memoriam ex Athenaeo haustam esse credibile est. Videntur autem penelopes cum alcyonibus familiariter vixisse, unde est illud ap. Arist. Avv. 299.

Οὑτοσὶ δὲ πηνέλοψ· ἐκεινοσὶ δέ γ᾽ ἀλκυών.

Ceterum Steph. *ἀλκυόνες* scripsit, quod Atticorum est. Totum igitur fragmentum ita concinnatum fuisse conjicio:

Τοῦ μὲν πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοισι
ξανθοῖς πανέλοπες [παμ]ποικίλοι αἰολόδειροι,
ἀλκυόνες θ' ἁλιπορφυρίδές τε τανύπτεροι.

— —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓
×̲ — —́ ⏑ ⏑ [— —] —́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — —
—́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ —

Cujus quidem foliis in summis quae flava sunt penelopes variae pictis collis alcyonesque haliporphyridesque expansis alis.

Ceterum quae de his avibus marinis praedicavit poeta Rheginus plane conveniunt in corvos marinos, quales vere praeteriti anni in insula Rugia immensa copia congregatos fuisse memorant literae Sundinae. Nam et hi in summis quercubus nidos fecerunt, quod mirabile accidit in avibus marinis, iidemque colore vario proceroque collo instructi perhibentur esse. Videant avium peritiores.

II. *Carmina heroico-lyrica.*

1. Troica.

Fragm. XIV.

Scholl. Venet. in Hom. Il. III, 114.

Πορφύριος ἐν τοῖς παραλελειμμένοις φησίν, ὅτι τὸν Ἕκτορα Ἀπόλλωνος υἱὸν παραδίδωσιν[31]) *Ἴβυκος, Ἀλέξανδρος,* (Aetolus, v. frgm. XVIII. Capellm.) *Εὐφορίων,* (frgm. CXXV. Mein.) *Λυκόφρων,* Cass. 266.

Fundamentum fabulae de Hectoris origine Apollinea videtur ipse esse Homerus Iliad. XXIV, 259., ubi Priamus insignem filii fortitudinem laudibus extollens ita fatur:

θεὸς ἔσκε μετ' ἀνδράσιν οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρός γε θνητοῦ παῖς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

In quem locum Scholl. Ven.: *Στησίχορος Ἀπόλλωνος αὐτόν φησιν, οὐ νοήσας τὴν ὑπερβολήν.* Stesichorum ille solum ita qui statuerit nominat ut aetate principem: unde Tzetzam in Lycophr. 266. Ibyci locum occupare jussisse Stesichorum, notiorem sibi poetam, suspicati sumus in Prolegg. p. 42.

---

31) Verbum *παραδιδόναι* de poetis usurpatum illustravit F. A. Wolf. in Epist. ad Schellenberg. Antimach. p. 120.

Videntur autem non poetae solum qui post Homerum floruerunt, sed vulgus hominum de artiore inter Apollinem, deum Trojae tutelarem, et Hecubam nexu multum fabulati; nam teste Athenagora Apolog. init. *ὁ μὲν Ἰλιεὺς θεὸν Ἕκτορα λέγει*, qui Il. XIII, 54. se ipse gloriatur Jovis de semine cretum, ob insignem fortitudinem puta. Apollinem autem parentem fecere Hectoris, quoniam is deus ei *μάχης ἐπιτάῤῥοθος ἦεν*. Cfr. Mueller. Prolegg. p. 270., Lobeck. Aglaoph. I, p. 268. Cum hac fabula arte cohaeret, quod teste Stesichoro in *Ἰλίου περσίδι* ap. Paus. X, 27, p. 865., quem secutus erat Polygnotus in picturis, quibus lescham Delphicam exornaverat, Apollo post dirutam Trojam amatam suam Hecubam in Lyciam sacram deo terram aufert. De variis circa Hecubae fata narrationibus dixit Hermann. in Eurip. Hecub. 1234, p. 140. edit. alt. Fuit praeterea in mythis Troilum suscepisse eandem ex Apolline, v. Lycophr. 313. ibique Tzetz., Heyn. ad Apollod. p. 303., Klein. Stesich. p. 80. Unde Achilles, cujus amores recusasse ferebatur, ad augendam facinoris diritatem in ara patris Thymbraei obtruncat, v. Lycophr. l. c., vasum Musei Etrusc. nr. 569, explicatum Ambroschio in Annall. Instit. Archaeol. 1831, p. 372 sqq.

Fragm. XV.

Herodian. *περὶ σχημάτων* ap. Villois. Anecdd. Grr. II, p. 95. 96.

Schematis Ibycii exemplum profert hoc:

Γλαυκώπιδα Κασσάνδρα Πριάμου φᾶμις ἔχησι βροτῶν.

Ita enim scriptum fuit in cod. Marciano, ex quo libellum illum edidit Villoisonius, pro vitioso *Κασσάνδρα* recte emendans *Κασσάνδραν.* Erat autem quum aliquot verba post *Κασσάνδραν* obducta censerem, cui incredibile videretur Ibycum non addidisse vel *παῖδα* vel *τέκνον* vel similem voculam. Neque vana suspicio fuit. Nam duo codd. Parisini, quos consuluit Bekk. Anecdd. p. 1452., auctiora haec suggesserunt ita: *γλαυκώπιδι κασάνδρα ἐρασιπλόκαμον κόραν Πριάμοιο φᾶμις ἔχ. βροτῶν.* Quae ita emendanda putamus:

Γλαυκώπιδα Κασσάνδραν ἐρασιπλόκαμον κούραν Πριάμοιο
φᾶμις ἔχησι βροτῶν.

— ´ ∪ ∪ — — ´ ∪ ∪ — ∪ ∪ — — ´ ∪ ∪ — ⏓
´ ∪ ∪ — ∪ ∪ —

Caesiam Cassandram pulchricomam filiam Priami fama tenet mortalium.

V. 1. Vocabulum *γλαυκώπιδος*, cui primariam et propriam significationem splendoris sive candoris, derivatam et translatam terroris inhaerere demonstravit Lucas *de Minervae cognom. γλαυκῶπις*, Bonn. 1828, p. 11. cfr. Goettling. Hes. scut.

430, apud Homerum unius est Minervae. Quod ut Ibycus in Priameiam virginem transferret caussa in eo est posita, quod ab Ajace Oilei ex templo *Γλαυκώπιδος*, de quo v. Hom. Il. VI, 88, cll. Mueller. Prolegg. p. 263., vi abrepta fuit; unde Eurip. Troadd. 69. Minerva ad Neptunum:

οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς;

cfr. Virg. Aen. II, 403 sqq. Quare nisi inutili et otioso epitheto poeta usus est, videtur de ipso illo raptu sermo fuisse: quod si statuimus, ne *ἐρασιπλόκαμον* quidem vi sua carebit: nam passis trahebatur infelix virgo capillis. *Τυρὼ ἐρασιπλόκαμος* est Pind. Pyth. IV, 136. Repudiavimus autem scripturam codd. Pariss. *Κασάνδρα*, quam ut antiquiorem tuetur Heynius Hom. Il. XIII, 366. et XXIV, 699. Verum quum a v. *κάζω* descendat vox, ut *Καστιάνειρα* et rell. ap. Mueller. Prolegg. p. 291, breve habet *α*; alias apud Homerum *Κησάνδρα* scriptum foret. Quanquam in vasculo pervetusto in quo est facinus Ajacis, Cassandrae appictum legitur *ΚΕΣΑΝΔΡΑ*, v. Labordii vasa Lamberg. II, tab. 24. In numis frequentius duplicatur $\bar{\sigma}$, quibus recte astipulantur Boeckh. nott. critt. Pind. Pyth. XI, 20., Hermann. Eur. Hec. 86. Quibus addo disertum testimonium veteris Grammatici, — nam contrarium nondum evicit Madvigius, — Minucii Apuleji p. 6. Osann. »Cassandra filia Priami vates geminat $\bar{\varsigma}$.« — Ceterum retracto quod imprudenti Prolegg. p. 58. excidit ignotum Cassan-

drae nomen Homero fuisse. Hoc volebam, vaticinandi facultate insignem ignorasse, v. Schol. Ven. B. ad Il. XXIV, 699. *οὐκ οἶδεν αὐτὴν μάντιν ὁ Ποιητής· ἀγωνίᾳ δὲ περὶ ἀδελφοῦ καὶ πατρός.* — 2. Pro *φᾶμις* cod. Paris, 2929. *φάτις*, v. Nitzsch. in Odyss. VI, 29. In similitudinem structurae, ex cujus ignoratione inquinasse verba poetae videntur librarii, multa sunt in promptu, velut Hom. Od. I, 95. *ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχησιν.* Pind. P. I. 96. *Φάλαριν ἐχθρὰ κατέχει φάτις*, ubi v. exempla plura ap. Dissen., adde Eur. Med. 420. *φάμα γυναῖκας ἕξει.* Aesch. Suppl. 1003. *αἶνος πόλιν τήνδ᾽ ἐχέτω.*

Fragm. XIV.

Aristoph. Lysistr. 155.

Ὁ γῶν Μενέλαος τᾶς Ἑλένας τὰ μᾶλά πᾳ
γυμνὰς παρεσιδὼν ἐξέβαλ᾽, οἴω, τὸ ξίφος.

Schol. *Ἡ ἱστορία παρ᾽ Ἰβύκῳ. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Λέσχης ὁ Λέσβιος ἐν τῇ μικρᾷ Ἰλιάδι· καὶ Εὐριπίδης* (Androm. 628.). Schol. Rav. *ἡ ἱστορία παρὰ Ἰβύκῳ καὶ Εὐριπίδῃ· ἀλλ᾽ ὡς ἐςεῖδες μαστὸν, ἐκβαλὼν ξίφος φίλημ᾽ ἐδέξω.* Schol. Arist. Vespp. 714. *καὶ τὸ ξίφος οὐ δύναμαι κατέχειν. Ὥσπερ ὁ Μενέλαος. τοῦτον γάρ φασιν ὁρμήσαντα ἐπὶ τὴν Ἑλένην ἀποβαλεῖν τὸ ξίφος. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἰβύκῳ καὶ Εὐριπίδῃ.*

Multae sunt variaeque de fatis Helenae post dirutam Trojam fabellae. Nam Demodocus in

Odyss. VIII. 510. Menelaum cecinit cum Ulixe Deiphobi aedes aggressos; ei enim mortuo Paride nupsisse ferebatur, v. Iliad. parv. ap. Procl. p. 36., Nitzsch. Hom. Od. IV, 271. Cui narrationi congruens est quod habet Quint. Smyrn. XIII, 354. repertam esse Deiphobi in aedibus ipsis, cfr. Dict. Cret. V, 12., itaque narrat rem ipse Deiphobus ap. Virg. Aen. VI, 510, cui loco non est mirum repugnare Aen. II, 567. ubi in sacello Vestae latet abdita Tyndaris. In tabula Iliaca a dextra parte comparet templum Veneris, ante quod mulier ab viro, qui crinibus manum implicuit, abrepta supplex ad Venerem, numen Paridis tutelare, tendit manus. Non potest dubitari quin Menelai in Helenam ira repraesentetur, v. Tychsen. prolegg. in Quint. Smyrn. p. LXXII. Dubitavit tamen C. G. Mueller. de cycl. epico poetisque cycl. p. 171., respiciens ille Quintum; sed Leschem suspicatur narrasse inventam in templo Veneris. Quam opinionem satis hic convellit locus Schol. Arist., quem praetermisit Muellerus inter permulta alia.[32]) In

---

32) Redarguit idem Schol. ejusdem Muelleri sententiam, quam p. 102. prodidit, qui ab antiquioribus scriptoribus nunquam ad Leschem Lesbium parvam Iliadem referri affirmet. Infuit autem narratio Leschis, opinor, in *Ἰλίου περσίδι*. Nam quum ap. Procl. Ilias parva usque ad equum intra moenia receptum porrigatur, verissime statuit Plehn. Lesbiac. p. 140. parvae Iliadis partem alteram vel continuationem fuisse *Ἰλίου περσίδα*, quae ab

tabula enim Iliaca Menelaus non abjicit gladium, occultatum ut videtur post tergum; non est igitur Leschis illa narratio; ex eodem potius fonte hausit artifex unde ducta sunt illa ap. Eurip. Hel. 116. *Μενέλαος αὐτὴν ἦγ' ἐπισπάσας κόμης.* Leschem et Ibycum sequuntur quos laudant Intpp. Eur. Andr. 628., sequuntur artifices, v. Hancarv. vass. IV, 12., Tischbein. IV, 50., cfr. Mueller. Archaeol. §. 415, 2.[33]) — Aliam denique famam adoptavit Stesichorus. Eur. Orest. 1287. *ἆρ' ἐς τὸ κάλλος ἐκκεκώφηται ξίφη;* Schol. *Στησίχορός φησι περὶ τῶν καταλεύειν αὐτὴν μελλόντων ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτοὺς ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν,* v. Klein. frgm. XXVII. Igitur non unus maritus, sed universi Graeci ira in mulierem tot caussam malorum exacerbati impetum faciunt; pulchritudine exarmantur, plane ut »*nautas Gniton mirabili forma exarmaverat,*« ap. Petron. Sat. p. 128. ed. Francof., in quem locum Stesichori memor fuit

---

aliis eodem nomine comprehensa, ab aliis appellatione secreta est.

33) Vix ego putaverim pro fundo harum fabellarum habendam esse imitationem mimicam raptus Proserpinae, quae est sententia Gerhardi Prodrom. p. 16., rerum mysticarum justo amantioris. Is cum hac fabula componit Jovem persequentem Semelam, Mercurium Hersam, Boream Orithyiam, Eoem Cephalum. Aperte hac Gerhardo videntur repraesentationes *διωγμάτων,* qualia in festis mulierum usitata fuerunt, de quibus adire jubet Hesych. s. v. *δίωγμα,* Suid. v. *ἀποδίωγμα,* quem non reperio.

Pithoeus. Quae huc alludant relicua vid. ap. Porson. Eur. Orest. 1287.

Fragm. XVII.

Diomed. Gramm. I, p. 307. Putsch.

»*Est Ulyssi agnomen polytlas. Nam praenomen est, ut ait Ibycus, Ulysses, nomen Arcisiades, cognomen Odysseus. Et ordinantur sic: Ulysses Arcisiades Odysseus polytlas.*«

Ita haec leguntur apud Putschium, ante quem luxatus locus circumferebatur; nam edd. Ven. 1495. 1508. *polidas, ibicus, accisiades; cognomen* omittunt; tum *odisecus, ordinatur, accis., odisecus. Agnomen polidas.* Cum Putschio consentit fere margo Gottingensis,[34] at *Olixis* et *Olixes* praebet uti edd. Venetae *Ulixis* et *Ulixes*, priore loco *Acrisiades*, emendate altero *Arcis.*, in fine denique *politlas.* Docet igitur hic memorabilis locus Diomedis Ibycum heroem Ithacensem appellasse *Οὐλίξην*, — nam eo et scripturae librorum spectant et quae infra exponemus —, *Ἀρκεισιάδην Ὀδυσσία.* Quod agnomen herois ponit Grammaticus, ex Homero assumpsit. Eidem Diomedi in aperto est deberi distinctionem appellationum Romana norma institutam. Nos rationem videamus.

Condocefaciunt complura exempla, nomina heroum eorum potissimum qui carminibus celebrati

---

34) De quo statim dicetur Excursu I.

epicis in ore vulgi versarentur, haud raro mirificas subisse mutationes vel depravando vel mutilando. Derivanda ex hoc fonte multa ab Italis maxime in deterius deflexa, veluti *Catamitum* vocarunt *Ganymedem*, v. Buttmann. de fab. Cydipp. et Acont. Mythol. II, p. 57.; in gemmis Etruscis *Tute* pro *Τυδεύς*. Neque tamen apud ipsos Graecos ejusmodi depravationes inauditae, ex vulgari sermone, opinor, receptae; veluti qui vulgo *Ἀθάμας* dicitur Ionibus *Τάμμης* fuit, v. Callimach. ap. Et. Gud. p. 522, 44., Schol. Ven. Il. IX, 193; Amphiarai nomen in *Ἄμφιν* decurtatum est, v. Aeschyl. in Et. M. p. 93, 50. Similisque *μετασχηματισμὸς* originem dedit, puto, lusui illi in Odyss. IX. Nam nisi nominis herois Ithacensis talis quaedam forma exstitisset, non potuisset Homerus in ejusmodi lusum delabi, qui in nomine *Οὖτις* cernitur. Eademque ratione *Ὀδυσσεὺς*, »*quem* Οὐδυσσέα[35]) *fecerunt Aeoles, ad Ulixem*[36]) *deductus est*,« verba

35) Cod. Guelf. *o dissea*, Goth. *odyssea*, Regius *'Υδυσσέα* conjecit. Recte editum se habet, in quo *ου* est u correptum Aeolensium, de quo post vett. Grammaticos exposuit Boeckh. oecon. civit. Athen. II, p. 396., Buttm. Lexil. I, p. 32., II, p. 267., qui signo ȣ notandum proponit. Idem Alcaeo ap. Athen. X, p. 430, A. reddit ȣ̓ρανῷ pro ὀρανῷ; debebat ȣ̓ρανῶ.

36) Ita oportebat scribi ex optimorum fide librorum, Florentini, Turicensis aliorum, pro vulgari *Ulyssem*. Idque vel sine libris factum flagitabat verbum Quintiliani

sunt Quintiliani Instt. orr. I, 4, 16. Quod autem Aeoles servarunt $\overline{\delta}$, in ejus locum suffectum $\overline{\lambda}$ comparet in vase Volcentino, Monumm. Instit. Archaeolog. Rom. 1831, tab. VIII., ubi Ulixi Sirenes praetervehenti, quarum una *Ἱμερόπα* vocata, ad malum religato appictum clare est *ΟΛΥΣΕΥΣ*, quod ab Muellero agnitum rejicit Gerhard. Bulletin. dell' instit. di corr. arch. IV, mens. April. 1832, p. 103., quam scripturam a suspicione liberabit Eustath. Il. p. 289, 38. *ὁ Ὀδυσσεὺς δέ που Ὀλυσσεὺς καὶ ἡ Ὀδύσσεια Ὀλύσσεια*, ubi errorem injuria crepat Maittair. de diall. p. 143. C. Alter locus alteri auxilio est. Ut hoc certe vasculum non videatur ex Attica officina prodisse; Euboeam patriam habere Muellerus conjicit; mihi ex Magna Graecia in Etruriam translatum videtur. Ita saepiuscule homines Itali loco Graecorum $\overline{\delta}$ habent $\overline{\lambda}$, $\overline{\text{l}}$, ut *δάκρυον* fit *lacruma* et quae sunt ap. Welcker. Append. Trilog. Aesch. p. 92. Huc ubi formam Etruscam quae est *Uluxe* addideris, quade disputavit Mueller. Etruscc. II, p. 279., devenias ad eam formam, quam Ibyco Rhegino usurpatam Siculorum Doriensium, inter quos versatum novimus Ibycum, propriam fuisse atque domesticam colligitur, *Οὐλίξην*, quod Latinis expressum literis sonabit *Uli-*

---

deduci; alias enim non ita magno intervallo utraque forma distaret; flagitabat denique usus Romanorum, v. infra.

xes.[37]) Nam teste Plutarch. Marcell. 20. *πόλις ἐστὶ τῆς Σικελίας Ἐγγύϊον οὐ μεγάλη, ἀρχαία δὲ πάνυ καὶ διὰ θεῶν ἐπιφάνειαν ἔνδοξος, ἃς καλοῦσι Ματέρας. ἵδρυμα λέγεται Κρητῶν γενέσθαι τὸ ἱερόν. καὶ λόγχας τινας ἐδείκνυσαν καὶ κράνη χαλκὰ τὰ μὲν ἔχοντα Μηριόνου, τὰς δὲ Οὐλίξου τουτέστιν Ὀδυσσέως ἐπιγραφὰς ἀνατεθεικότων ταῖς θεαῖς.* Nemo autem temere tam reperietur credulus qui heroes illos nomina donis inscripsisse ipsos censeat: inscripserunt homines Siculi multa de Trojanorum heroum in illas regiones adventu rebusque ibi gestis communi persuasione ambitiose fabulati. Unde consectarium est, ut id formae in sermonem Doriensium Siculorum omnino receptum arbitremur fuisse. Universe Doriensibus eandem ascribere formam videtur Priscian. VI, 18, 92. »In eus Graeca sunt et us in i mutantia faciunt Genitivum, ut hic

37) Quod olim plerique scribebant *Ulysses* non deest ratio qua tueare, si Aeolensium formam ponas sibi arrogasse Latinos δ mutata literula in l. Alii, ut Burmann. Anth. Lat. I, p. 108. *Ulyxes* scribunt, quod nihili est. Primus, quantum mihi constat, Ciofanus in Ovid. Heroidd. I, 1. commendavit formam *Ulixes* ab omnibus codd. eo loco monstratam; sequuntur recentiores fere omnes, qui non rem ipsam historico modo explicantes solam praetendunt auctoritatem membranarum; quarum exigua profecto est in talibus rebus auctoritas, uti Osann. Apulej. p. 52., Lindemann. ad Probum Gramm. Tom. I, p. 126., et quos affert Hessius comm. I in Tacit. Germ. p. 7.

Tydeus, Tydei. In hujusmodi tamen terminatione quaedam inveniuntur mutatione eus diphthongi in es longum prolata, ut Ἀχιλλεὺς Achilles, Περσεὺς Πέρσης, Ὀδυσσεὺς Ulixes. In quo Dores sequimur, qui pro Φυλεὺς Φύλης, pro Ὀρφεὺς Ὄρφης et Ὄρφην dicunt, pro Τυδεὺς Τύδης.« Priscianus si dicere voluit Latinos *Ulixem* (perperam enim Putschius *Ulyssem*, recte Krehlius) repetisse a Doribus, licet nunc quidem de una terminatione ης, es agatur, tamen etiam in relicuis literis Doricam debebat retinere formam, qui non dicebant Ὀδύσσης.[38]) Quare et rationi obtemperantes nec non patulas aures praebentes claris testimoniis scriptorum codicum scribimus Οὐλιξεὺς, neque tamen quasi hunc exitum in ευς exstitisse opinemur, quam Priscianus congruenter instituto suo effinxit. Stant enim a nobis tres libri veteres quos bibliotheca Wolfenbutt. tenet, Gud. 64, saec. X; Helmstad. 516, saec. XIII; Weissenburg. 50, saec. XI. Ex quibus primus et tertius diserte exhibent ΟΥΛΙΞΕΟΥΣ, Helmstad. autem ΥΛΙΞΕΥΣ. Mirum ni idem prodiderint libri Krehlii, at is silet. Non jam erit controversa res: scripsit Grammaticus Οὐλιξεὺς, quod Dores dixerunt Οὐλίξης, *Ulixes* Latini. Huc denique accedit Fulgent. Mythol. II, 11. »Ulyxes (scr. *Ulixes*) Graece quasi ὅλων ξένος, id

---

38) Cujus nullum est vestigium formae; errat Schneider. Gramm. Lat. II, 1, p. 164.

est omnium peregrinus 39) dicitur.« Quae nominis interpretatio ut sit inepta, certum hoc est non potuisse omnino tentare explicationem nisi persuasum habuisset Fulgentius formam *Ulixes* non Latinis demum singulariter esse detortam sed irrepsisse a Graecis susceptam.

Quum autem Ibycus teste Diomede heroi Ithacensi *Οὐλίξη*, nam is sonus a puero aures ipsius circumstrepuerat, vulgare nomen atque Homericum ut indolis declarationem additum significasse, consentaneum est hoc ita persecutum poetam esse, ut caussam simul atque rationem appellationis prodiderit. Sed quam potissimum originem pro vera habuerit difficile est dictu in tanta opinionum discrepantia. Prostat in interpolato loco Odysseae qui est XIX, 407. originatio *Ὀδυσσέως* haec. Namque Antolycus maternus avus *Ὀδυσσέα* parvulum appellat hac addita ratione:

πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν.
τῷ δ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον. 40)

39) *Οὖλος* quidem ita possit explicari, *ξένος* autem quod inesse statuit delirat. Si rimanda modo stirps esset et compositionis origo, rectius ille ageret qui *Οὐλίξην* diceret eum esse *qui cum pernicie*, *ὀλοός*, v. Buttmann. Lexil. I, p. 185 sqq., *domum venit*, ut ad obtruncationem insolentium procorum spectaret. *Ἴξης* ut *Ἰξίων*, v. Welcker. Trilog. Aesch. p. 549.

40) Quid sit *ἐπώνυμος* docet Schol. Ambros. Odyss. VII, 54., Nitzsch. Tom. II, p. 139.

Apparet facile cuivis non prorsus hebeti haec non tam quadrare in Autolycum, quam cui quasi auguratus futura nomen indidisse fingitur nepotem. Ut plane assentiar Nitzschio de consil. Odyss. Tom. II, p. XXXVII. Propinant alias nominis derivationes alii non minus fere absonas, veluti Sophocl. in vita Soph. p. 387, 30. Dindorf.

ὀρθῶς δ' Ὀδυσσεὺς εἰμ' ἐπώνυμος κακοῖς·
πολλοὶ γὰρ ὠδύσαντο δυσσεβεῖς ἐμοί·

Alias vide in Etym. M. s. v., Platon. Cratyl. p. 397, B., cll. Mezir. in Ovid. Heroidd. I, p. 20. Haud dubie significat nomen *eum qui iratus est*, ut repraesentetur furor herois in gregem *μνηστήρων ὑπερφιάλων*, *ὑπερηνορεόντων*, quod est caput et summus finis totius Odysseae Homericae. Eamque originationem quum ineptae relicuae sint secutum Ibycum verisimile videtur. Tales autem originationes nominum propriorum quum omnibus fere poetis tum frequentissimae iis videntur fuisse, qui cyclici dicuntur, Hesiodiae potissimum scholae sectatoribus, quales complexus est M. Isler. quaestt. Hesiod. spec. p. 45 sqq. et qui per omnem scriptorum campum vagatus est Meinek. in Euphor. p. 128. Accuratius poterit exponi, si accuratius etiam distinxeris inter aetates generaque poetarum, quum hoc studium alias caussas habeat in poetis epicis, in tragicis lyricisque alias. Estque in eo studio, si quidem modice usurpetur et cum ratione neque in puerilem lusum degeneret, quod animi humani na-

turae accommodatissimum sit. Nam quum Graecis omnia nomina vel *εὐώνυμα* ad aures acciderent vel *δυςώνυμα*, pro diversis poetarum consiliis vel in felicitatem indita praedicabantur vel secus. Ut non recte gravium indolem poetarum, Aeschyli, Sophoclis, Pindari[41]), — nam Euripides quidem labitur — assecuti videantur, qui hunc non tergiversentur lusum appellare etymologicum; Graecis quidem non erat. Defungamur in cumulum uno alterove exemplo. Chorus Aesch. Ag. 674. Helenae iratus facinore tot civibus letali a numine quodam ita institutum canit, ut *Ἑλένη* nuncuparetur: *ἐπεὶ πρεπόντως Ἑλενᾶς*,[42]) *ἕλανδρος, ἑλέπτολις*, ubi magnopere aberravit a vero Wellauerus; alias in acerba cavillatione locum habet, haudquaquam ad lusum: veluti Aesch. Prometh. 85. mordaci nominis interpretatione miserum Prometheum enecat *Κρά-*

---

41) De usu Tragicorum lege Hermann. Soph. Aj. 425, qui Sophoclem egregie vindicat: alia exempla suggeret Elmsl. Eur. Bacch. 508.; de Archilocho dixit Liebel. p. 66., de Pindaro Dissenius Ol. VI, 56., Nem. II, 10., Isthm. V, 53. In caussa atque ratione hujus consuetudinis indaganda non possum consentire cum Classenio de gramm. Gr. primord. p. 35., solos Tragicos considerante, qui quae dicit, ea recte applices ad Hesiodiae scholae poetas, non ad tragicos, lyricos.

42) Ita enim rescribendum duximus. Vulgatum *Ἑλένας*, quod nihili est, emendavit Elmsleius reponendo *Ἑλέναυς*. Nostrum ut *Ἐχενᾶς* pro *Ἐχεναΐς* et quae sunt consimilia plura.

τος; alias facete et ut vulgus amat, poetae in hac re ludunt, ut hymn. Hom. XIX, 47.

Πᾶνα δέ μιν καλέεσκον, ὅτι φρένα πᾶσιν ἔτερψεν.

Sunt et alii usus hujus rei, quos his complecti omnes non fert animus.

Nihil nunc restat nisi ut quaedam addamus de *Ἀρκεισιάδῃ.* Fuit *Ἀρκείσιος* pater Laertae, Odyss. XVI, 118. Non rarenter enim ab avorum nominibus gentilia descendunt nepotum, ut Achilles Aeacides, *Ὀρέστης Πλεισθενίδης* ap. Stesich. frgm. XLIII, Agamemnonem enim erant qui non Atrei, sed Plisthenis perhiberent, ut Hesiodus, cfr. E. L. de Leutsch. noster Thebaid. cycl. reliq. p. 16, adde Tzetz. exeges. in Iliad. p. 68, 20 sqq. A proavo adeo, honorificentius id censebatur, Perseus Agenorides dictus Ovid. Met. IV, 771., Talaus Cretheiades ap. Antimach. frgm. XVIII, cfr. Valcken. in Eurip. Phoen. 425. et quae exposuit Meinek. in Euphor. p. 91.

Excursus I.

Memorabamus paullo ante Diomedis marginem Gottingensem, de quo explicatius dicemus. Tenet bibliotheca Acad. Georg. Aug. exemplar Diomedis Gramm. Lips. 1542. 8. editum, cujus orae oppletae sunt diversitatibus cod. veteris ejusque perboni diligenter excerptis. Fuldanum suspicor librum esse, quo se usum scribit in emendando praeclaro Grammatico Putschius praef. Gramm. Lat. Librum illum vel eundem esse vel persimilem quum multis argumentis liceat demonstrare, demonstrabimus uno aliquo loco, quem quia memoratu dignum habemus neque tamen

adhuc usurpatum vidimus, emendatiorem paullulum et explicatiorem apponere placuit. Diomedes ubi de iambi appellatione disserit propositis aliis haec adjicit p. 473. Putsch. »*Alii a Marte ortum Iambum strenuum ducem tradunt, qui cum crebriter pugnas iniret et telum cum clamore torqueret παρὰ τὸ ἰέναι καὶ βοᾶν Iambus appellatur. Idcirco ex brevi et longa pedem hunc esse compositum, quod hi qui jaculantur, ex brevi accessu in extensum passum proferuntur, ut promptiore nisu* (ante P. *ut fortiore nixu*, consentit cum P. marg. Gott., nisi quod *et* legit) *telis ictum confirment . auctor hujus librationis Arctinius Graecus his versibus perhibetur:*

ὁ ἴαμβος
ἐξ ὀλίγου διαβὰς προφόρῳ ποδὶ ὄφρα οἱ γυῖα
τεινόμενα ῥώοιτο καὶ εὐσθενὲς εἶδος ἔχησι.«

Ita Putschius, ante quem misere luxati circumferebantur versus Arctini Milesii, cujus vel ipsum nomen pessime depravatum a P. certe aliquanto rectius scriptum est. Nam ed. Ven. 1495, *agretinus* monstrat, quacum conspirant Ven. 1508, Ascens. 1516, Ven. 1519. Verborum autem simulacrum quoddam in Ven. 1495 exstitit: διαμβος ἐξ ὀλιγὸυ διαβας προφερω, unde sequitur lacuna duodecim literarum. Ven. 1508 eadem nisi quod ἐξολιγον tenet, Ven. 1519 διάμβος εξίολίγον διά βὰς πρόφερω; Ascens. lacuna duodecim literarum post *perhibetur* notata pergit: διΐαμβος ἐξόλιγου διὰ βος προφέρω. Ed. Lips. fol. 137, b. scribit *liberationis*, marg. *librationis*, unde repone *vibrationis.* Pergit Lips. »*Agretius Graecus h. v. perhibetur*, διαμβος ἐζιολίγον διαβὰς προφέρω.« Margo *Arctinius* cum P., versus ita:

ὁ ἴαμβος
ἐξ ὀλίγου διαβὰς προφόρῳ ποδὶ, ὄφρα οἱ γυῖα
τεινόμενα † ῥαιτο καὶ εὐσθενὲς εἶδος ἔχησι.
ῥώοιτο

Unde versus poetae, quos conjicere licet in Aethiopide locum habuisse, ita scriptos fuisse arbitramur:

. . . . ὁ δ' Ἴαμβος
ἐξ ὀλίγου διαβὰς προφόρῳ ποδὶ, ὄφρ' οἱ γυῖα
τεινόμενα ῥώοιτο καὶ εὐσθενὲς εἶδος ἔχησι,
. . . .

Iambus autem leviter distentus praeposito pede, quo membra extensa roborarentur et validam speciem haberet . . . . telum probe retortum emisit. Iambus dux, Mavortis germen, non cognitum aliunde. Speciem habemus jaculatoris, qui cruribus divaricatis altero pede prosilit jaculum emissurus, ut validius, *promptiore nisu*, irruentem adversarium sustineat. Quo pertinet Hom. Iliad. XII, 457.

στῆ δὲ μάλ' ἐγγὺς ἐὼν καὶ ἐρεισάμενος βάλε μέσσας
εὖ διαβὰς, ἵνα μή οἱ ἀφαυρότερον βέλος εἴη.

Ubi Schol. Ven. B. συνέργει γὰρ ἡ διάβασις πρὸς βιαιοτέραν τοῦ βαλλομένου φοράν, cll. Eust. p. 914, 27. Rom., adde Tyrt. VI, 31., VII, 21. Bach., Ap. Rh. III, 1294. αὐτὰρ ὁ τούς γε εὖ διαβὰς ἐπιόντας — μίμνει; qualem ducem desideravit Archiloch. ap. Valck. diatr. p. 253. ἀσφαλέως βεβηκότα ποσσί. Quod post ὁ particulam inserui, feci monitu antiqq. edd.; πρόφορος hoc significatu praetermissum Lexicographis; pro ὄφρα οἱ scripsi ὄφρ' οἱ, cujus de correptione nemo reperietur qui cogitet. Quod autem conjunctivum ἔχησι intulit post optativum ῥώοιτο Arctinus, ratione fecit. Iambus enim quum crura distorqueret, hoc sequebatur mente atque cogitatione, ut firmius staret: illud omnium intellectui reclusum est, statione eum tunc usurum fortiore eumque distorsionis effectum non puncto temporis periturum. Illa autem membra distendendi actio momento temporis transigebatur, effectus mansit. Quod igitur duratio et continuatio actionis saepe respicitur in ejusmodi enunciatis finalibus, hinc fit, ut in verbo ἔχειν potissimum

conjunctivus usurpetur, v. Ar. Avv. 73, Eur. Hec. 28, 1225., Incert. ap. Suid. s. v. *βουκολήσας*. — Cfr. praeter Hermann. Vig. p. 903., Nitzsch. Homer. Od. III, 77., Wellauer. Aesch. Prom. 202., Bernhard. Synt. p. 401. praecipue *Wex. de usu modor. in enuntt. finall.* in Epist. crit. ad Guilielm. Gesenium p. 22—40.

Fragm. XVIII.

Schol. vulg. Ap. Rh. IV, 815.

Ἀναξαγόρας φησίν, ὅτι ταῖς ἀληθείαις Ἀχιλλέα τιμῶσι τοῖς περὶ Λακωνικὴν ταῦτα πέπλασται. Οἱ δέ φασιν, ὅτι συμπαθήσαντες οἱ θεοὶ τῇ Θέτιδι ἀπεθανάτισαν αὐτόν. Ὅτι δὲ Ἀχιλλεὺς εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος ἔγημε Μήδειαν, πρῶτος Ἴβυκος εἴρηκε, μεθ' ὃν Σιμωνίδης.

Priora scholii verba emendatiora quidem sed contractiora prostant in libro Parisino: *Ἰστέον δὲ, ὅτι ὁ μὲν Ἀναξ. ταῖς ἀληθείαις φησὶν ὡς θεὸν τετιμηκέναι τοὺς περὶ Λακ. οἰκοῦντας.* Desunt igitur verba *ταῦτα πέπλασται.* Unis scholl. Parisinis confisus est *Koehler. de insulis et cursu Achillis*, v. Acta Acad. Petropolit. 1828, p. 149. Ex cod. Paris. Wellauerus *οἱ περὶ Λακωνικὴν* in scholl. vulg. reponi jussit post eaque verba excidisse quaedam censuit. Hoc recte: et defectus apertus est nec quomodo resarciatur longe quaerendum: *Ἀναξαγόρας φησίν, ὅτι οὐ ταῖς ἀληθείαις Ἀχιλλέα τιμῶσι, τοῖς δὲ περὶ Λακωνικὴν ταῦτα πέπλασται,* quo clare ducunt vestigia scholl. vulgatorum idque judicium conveniens videtur indoli phi-

losophi: quod Paris. scholl. volunt, id, opinor, non opus habebant Anaxagorae demum fide communire. Sed ne sic quidem persanatus locus est. Recte enim scholl. Paris. Anaxagoram auctorem perhibent, Lacones tanquam deum venerari Achillem, veluti teste Paus. III, 20, 8. Lacedaemone Arcadiam petituris templum Achillis fuit; idem Brasiis sacellum scribit fuisse III, 24, 4. cll. VI, 23. 2. Unde cultus migravit ad Astypalaeatas, Tarentinos, v. Mueller. Aeginet. p. 162. Quare id quidem non poterat Anaxagoras affirmare Lacones eum cultum divinum temere confinxisse, ut *Λακωνικὴν* labem traxisse videatur. Hinc quum conjecissem *τοῖς δὲ περὶ Μαιωτικὴν* scil. *λίμνην*, *C. O. Muellerus* non improbato illo ipse emendavit *τοῖς περὶ Λευκὴν νῆσον*, quod verissime factum judico. Anaxagoras igitur omnem divinum Achillis cultum ex Leuca insula originem duxisse videtur ratus esse: quo jure, infra quaeremus. Partem schol. excerpsit Eudoc. Viol. p. 85. *μετὰ θάνατον Ἀχιλλεὺς ἔγημε Μήδειαν τὴν Αἰήτου παῖδα εἰς τὸ Ἠλ. πεδ. παραγενόμενος· — Αἰήτης δὲ . . . . καὶ Ἄψυρτος —· καὶ τοῦτο πρῶτος Ἴβυκος εἴρηκε καὶ Σιμωνίδης.* Ita haec verba imperatricis dirimenda erant, ut poetarum auctoritate nonnisi priora illa fulciantur, relicua de suo addidisse Eudocia putetur, quod monui Harlesii gratia in Fabric. B. Gr. II, p. 125. — *Οἱ δέ φασιν* quum dicit, Pindarum intelligit Ol. II, 79., quocum in insulis beatorum reponunt Plat.

Symp. p. 179, E., Scolion laudatissimum in Harmod. et Aristogit. ap. Athen. XV, p. 695, A. In Odyss. XXIV, 13. est *κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα;* Leucam deducit mater apud Arctinum Aethiop. Procl. p. 479. Gaisf. *Θέτις ἀφικομένη σὺν Μούσαις καὶ ταῖς ἀδελφαῖς θρηνεῖ τὸν παῖδα καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τῆς πυρᾶς ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς Λευκὴν νῆσον διακομίζει, οἱ δὲ Ἀχαιοὶ τὸν τάφον χώσαντες ἀγῶνα τιθέασιν.* Unde Alcaeus ap. Eustath. Dion. Perieg. 306. *Ἀχιλλεῦ, ὃς τᾶς Σκυθικᾶς μέδεις.* Nobilitataque est haec deductio compluribus operibus artis, quae illustravit Rad. Rochett. monumm. ined. I, p. 110 sqq. Qui autem in Leuca reponunt, alii Iphigeniam uxorem ei assignant sponsam olim suam, uti Anton. Liberal. 27, cll. Koehler. l. c. p. 216; quae narratio, ut recentiores solent poetae res Homero leviter perstrictas dilatare variisque exornare figmentis, fundamento nititur Hom. Il. I, 147., alii Helenam substituerunt, v. Paus. III, 19. Ibycus autem Elysium ei campum tribuit, quem Homerus ponit *ἐν πείρασι γαίης,* Od. IV, 561., cll. Voelck. geogr. Hom. p. 156., Nitzsch. Od. I, p. 283. Hesiodus Opp. 196. novit insulas beatorum destinatas fortibus heroibus eaque persuasio paullatim vel commentis poetarum vel sermonibus populi aucta exornataque est. Locus autem ille quem fabulabantur beatum pro aetate rationibusque poetarum huc illuc translatus eo maxime tempore est, quo susceptae in longinquas terras

navigationes mirabilia quaeque aperuerunt, v. Gesner. de navigatt. extra column. Herc. post Orphica Hermanni p. 642. Neque magis nomen sedis istius fixum atque certum erat; ita qui ap. Homer. in Elysium perventurus fertur Menelaus, Eurip. Helen. 1676. fatale canit esse, ut in insulis habitet beatorum. Ibycus autem quum sententiam suam ab Arctini aliorumque fabulis segregavit, non tam re discrepare censendus est quam appellatione. Non dubitandum enim est, quin de Leuca beata insula cogitaverit poeta, qui Medeam, Tauricam deam, sociaverit Achilli: convenientior autem lyricae magnificentiae Elysii, quam tenella insulae Scythicae memoria. In medio positum autem exornandi fuit studium, siquidem teste Plin. Hist. Nat. IV, 13, 26. »*eadem Leuce et Macaron dicta est*,« quem injuria vellicat Koehler. l. c. p. 37. Ita Pindarus quum altero loco in insulis beatorum collocasset Achillem, in Leuca posuit altero qui est Nem. IV, 49. Qua ratiocinatione simul hoc lucramur, ut convellamus Koehleri sententiam, qui l. l. p. 7. antiquissimam eam fuisse traditionem censet, quae insulas beatorum Elysiumve habitaculum Achilli ascribit: falso.

Ibycum imitatur Apoll. Rh. IV, 814. Primus autem Rheginus Medeam uxorem ei assignavit, sectatores nactus praeter Simonidem Apollonium l. c., Lycophronem Cass. 174., 798. ibique Tzetzam, denique auctorem aenigmatis in Anth. Pal. XIV. 27.

Παρθένον ἐν πελάγει ζητῶν τὴν πρόσθε λέοντα
τηθὴν εὑρήσεις παιδοφόνου Ἑκάβης,

optime soluti a Jacobsio; cfr. Holobol. in Dosiad. aram ap. Valcken. diatr. p. 133. Quaeritur, quid induxerit poetam id ut novaret. Nam quum expeditionem Argonautarum vulgaris fama in Colchidem susceptam ferat, antiquior et sincerior traditio eademque tamen situ vetustatis obscurata in Tauricam paludemque Maeotidem directam testabatur, v. Mueller. Orchom. p. 279. Hinc Medeam erant qui callidissimam et masculam mulierem fortissimo heroi Iphigeniae loco, quae antiquitus ipsa fuit Diana Taurica, Helenaeve uxorem adjungerent, quorum agmen duxit poeta Rheginus.

Fragm. XIX.

Herodian. Etym. Magn. p. 171, 7. Sylb.

Αὔσιον· καὶ ὁ μὲν Ἴβυκος αὔσιον λέγει, οἷον· Οὐ γὰρ αὔσιον παῖς Τυδέως: — ὁ δὲ Ἀλκμὰν· Ταυσία παλλακίω: — ὁ δὲ ποιητὴς κατὰ διάστασιν καὶ τροπὴν τοῦ ᾱ εἰς η̄· οἷον τηΰσίην ὁδόν. (Odyss. III, 316; XV, 13.) *οὐδεὶς γὰρ τὸν σχηματισμὸν αὐτοῦ κατώρθωσεν· ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι, ὅτι πρῶτον τὸ παρ' Ἰβύκῳ· δεύτερον τὸ παρὰ Ἀλκμᾶνι.* (frgm. C. ap. Welcker.) *τρίτον τὸ παρὰ Ὁμήρῳ κατὰ διάστασιν. οὕτως Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν.*

Ibycus igitur scripsit si emendarimus *Τυδέως*:

Οὐ γὰρ αὔσιον παῖς Τυδέος . . . .

´ ◡ — ◡̄ ✕ — ´ ◡ ◡ . . . .

Non enim frustra filius Tydei, fortasse ἔκβαλεν ἔγχος. De mensura frustuli dixi in Prolegg. p. 77. Formam quam ex Alcmane attulit Grammaticus conservavit et Hesych. ταύσιον. μάταιον. Ita enim vulg. ταύσιμον correxit Alberti II, p. 1553. Quam autem sententiam dixit de origine vocis Herodianus, vir ab eruditione quam a judicandi subtilitate instructior, licet comprobaverit Geistius disquisitt. Homer., Gissae 1832, 4., p. 4 sq., ea tamen ita comparata est, ut historiae sermonis Graeci repugnare videatur. Primum enim non est credibile Ibycum atque Alcmanem formam Homero antiquiorem usurpasse; deinde haec est lex linguarum atque norma, ut saeculorum decursu vocabulorum nonnihil vel ab initio absorbeatur, vel delitescat in terminatione. Quare Homericum illud fas est statuere primitivum esse, apud posteriores autem poetas Dorienses vel ηΰ in αυ eduruisse vel abjectum plane illud τ quod est in capite vocabuli. Id vero ut in consonis mollioribus saepius factum est, ita hujus literae praeter articulum unum tantum habeo exemplum intra manus idque in nominis proprii licentia conspicuum. Nam τὸν Τῖφυν ὁ Αἰσχύλος ἐν τῇ Ἀργοῖ 43) Ἶφυν καλεῖ,

43) Legitur ibi Δίσχηλος, quod jam ante Wellauerum vitium eluit Weichert. de Apoll. Rh. p. 226; at non recepit Dindorfius. Sed certae emendationi pravam Wellauerus comitem dedit, qui pro ἐν τῇ Ἀργοῖ non dubitet quin legendum sit ἐν Ἀργείοις. Quid vero? non

schol. Ap. Rh. I, 105. Ceterum Geistius rejectis cum Buttmanno in scholl. Ambros. Odyss. p. 455. somniis Grammaticulorum dubitanter ortum conjicit ex *αὔτως ἀντὶ τοῦ μάτην*, cum Scholl. Ambros. Odyss. XV, 13. Quae quidem suspicio concidit et ipsa si nostra caussa vicerit.

Fragm. XX.

Schol. vet. Pind. Nem. X, 7.

Διομήδεα δ' ἄμβροτον ξανθά ποτε Γλαυκῶπις ἔθηκε θεόν. Καὶ οὗτος Ἀργεῖος, ὃς δι' ἀρετὴν ἀπηθανατίσθη· καὶ ἔστι περὶ τὸν Ἀδρίαν Διομήδεια νῆσος ἱερὰ, ἐν ᾗ τιμᾶται ὡς θεός. καὶ Ἴβυκος οὕτω· τὴν Ἑρμιόνην γήμας ὁ Διομήδης ἀπηθανατίσθη σὺν τοῖς Διοσκούροις· καὶ συνδιαιτᾶται αὐτοῖς. καὶ Πολέμων ἱστορεῖ· ἐν μὲν γὰρ Ἀργυρίπποις ἅγιον ἐστὶν αὐτοῦ ἱερόν· καὶ ἐν Μεταποντίῳ δὲ διὰ πολλῆς αὐτὸν αἵρεσθαι τιμῆς ὡς θεὸν καὶ ἐν Θουρίοις εἰκόνας αὐτοῦ καθιδρῦσθαι ὡς θεοῦ.

Post voc. *οὕτω* signa lacunae apposuit Boeckhius, sponte enim apparere, sequentia non esse Ibyci. Quae quidem verba Boeckhii ita mihi interpretanda videntur, ut tenorem poeticum intercidisse affirmet; nam si omnino Ibyci fabulam ob-

---

noverat Well. vel illud Ovidii: *Tiphys in Haemonia puppe magister erat?* ne quid Apollonium suum provocem. Argo fabula ad Jasoneam trilogiam accensebatur, de qua v. Welcker. Aesch. Trilog. Prom. p. 311. et quae retractavit in Append. p. 100 sqq.

literatam esse censet, valde repugnamus. Ibyci fide ea munit Schol., quae de nuptiis Hermionae atque Diomedis profert, sicut ad postera Polemonis auctoritate utitur. Idem tacite sumunt Ursinus, Meziriacus, Koehlerus, Nitzschius alii. *Γὰρ* ante *συνδιαιτᾶται* expunxit Ursinus. —

Minerva Diomedem inseruisse caelo dicitur, quando ejus religio in familia Tydidarum domestica fuit, v. Hom. Il. IV, 390., Horat. I carmm. 6, 15. *ope Palladis Tydides superis par.* Unde explicationem habet quod est ap. Schol. Callim. Lav. Pall. 35. de effigie Diomedis cum Minervae simulacro ad Inachum portari et lavari solita, v. Welcker. ap. Dissen. in Explicatt. Pind. Nem. X, 7. Salamis Cypria juxta templum Minervae fanum habuit Diomedis, Porphyr. de abstinent. II, p. 222., ipse Diomedes Luceriae ferebatur condidisse templum Minervae *Ἀχαΐας*, Strab. VI, p. 434. Cas., cll. Ael. Hist. An. XI, 5., Heyn. excurs. I. in Virg. Aen. IX, Tom. III, p. 635., Koehler. de insul. et curs. Ach. p. 169. Quod autem tot ubique Diomedi exhibebantur honores divini et quod in Deos recipitur, fidem facit ipsum pariter atque Dioscuros antiquitus deum creditum in humanam paullatim speciem depressum in integrum esse restitutum opera poetarum. Indoles autem herois divini difficillima est ad explicandum; nobis quidem, licebit enim suspicari, multa quae sunt in fabulis ad navigationem, ad equitandi videntur artem referenda

alia. Utramque virtutem apud veteres artissime conjunctam fuisse vel *Ποσειδῶν ἵππιος* argumento est. Quodsi igitur ab initio Neptunum fuisse crediderimus, non valde, opinor, aberrabimus. Ad navigationes et commercium marinum spectare videtur uxor *Αἰγιάλεια*, quacum Thesei patrem *Αἰγέα* compares, consociatio cum Dioscuris, salutiferis mare tentantibus, insulae Diomedeae, in quibus quae aves vivebant aquaticae erant, cfr. Koehleri amplissimos commentarios p. 171 sqq.; in sinu Adriatico templum Diomedis *λιμένα ἔχει καὶ ἄλσος εὐπρεπὲς καὶ πηγὰς ζ' ποταμίου ὕδατος εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ*, Strab. V, p. 334. Cas., in Italiae toto fere litore orientali summis afficiebatur honoribus, v. Mueller. Etruscc. I, p. 142., Koehler. l. c. Ad alteram virtutem spectat Argyrippa ab ipso condita et a patrio *Ἄργει ἱππίῳ* denominata, ubi cultum ipsum numi arguunt, v. Niebuhr. hist. Rom. I, p. 169., praeterea nexus cum Dioscuris, quorum non alter solum equis superare nobilis, v. hymn. Hom. XVII, 5. *Τυνδαρίδαι ταχέων ἐπιβήτορες ἵππων*, Alcman. frgm. II. 44) Quae ipsa cum Dioscuris cognatio ansam videtur dedisse poetae, ut ducta Hermiona, sororis eorum filia, Diomedem cum iis

---

44) Alcmanis verba et ab aliis et ab Herod. *περὶ σχημ.* p. 96. Vill. servata ex vestigiis duor. codd. Pariss. ap. Bekk. An. p. 1452. ita scribenda sunt:

viventem faceret. Adde quod apud Venetos λευκὸς ἵππος, quo alibi Neptuno faciunt, Diomedi sacrificabatur teste Strab. V, p. 315. Cas. Ut autem Neptuni et Minervae natura atque indoles consimilis, ita cum Minerva Diomedes nexu ligatus est artissimo. Longe aliter de indole herois divini se sentire significavit Welcker. Trilog. Aesch. p. 286.

Hermiona, filia Menelai et Helenae, Oresti, postea Neoptolemo nupsisse ferebatur v. Sophocl. ap. Eustath. Od. p. 1479. Rom. Quae poetis non curantur mortales nuptiae. Diomedes igitur ducta Hermiona Deorum insertus numero vivit postea cum Dioscuris. In caelo puta: nam Dioscuri alternis vicibus immortales aut in caelo versantur aut ἐν γυάλοις Θεράπνας, ubi Helenae sorori Menelaoque suo divini impertiebantur honores, Isocr. encom. Hel. 17, cll. Mueller. Dorr. I, p. 92 sqq. Obscuratum igitur Deum in numerum Deorum revocatum

---

Κάστωρ τε πώλων ὠκέων δματῆρες, ἱππότα σοφώ,
καὶ Πολυδεύκης κυδρός . . . .
— –́ ⏑ — — –́ ⏑ — — –́ ⏑ — ⏑ –́ ⏑ —
–́ ⏑ ⏑ — — –́ ⏑ . . . .

Schol. Pind. P. IV, 318. et cod. Villois. *ἱππόται σοφοί.* Pro *ὠκέων δματ.* codd. Pariss. *ὠκεαδαμαντῆρες*, schol. Pind. *ταχέων*, recte *ὠκέων* Eust. Od. p. 1761, 34., omittit Villois. codex. Formam *δαμαντὴρ* nusquam alibi legi observat Welcker.; quod non mirari subit, quum sit plane explodenda. Schol. Pind. *δμητῆρες*, unde doricam formam reposui. Denique pro *κυδρὸς* Urs. *κυδνὸς*, codd. Pariss. *κύδεος*, Villois. *κῦδρος*.

par est vivere in caelo. Quae nos caussa impellit, ut rejiciamus quod suspicatur Fuchsius de fabb. Troicc. varietate p. 165., ex mente Ibyci Diomedi nupsisse Hermionam in insulis beatorum. — Id autem certum est, ut apud Pindarum, ita apud Ibycum Minervam immortalitate mactasse Diomedem, uti Tydeum patrem ad immortalitatem erat evectura, v. Bacchyl. frgm. XLVIII. Nam quod Homero unus Jupiter isque in viris aliquot sibi conjunctissimis potuit, id potestatis posteriores poetae nec aliis invident numinibus, v. Nitzsch. Hom. Od. III, 236. Rudimenta hujus fabulae forsitan ex *Νόστοις* repetisse poetam Rheginum non sine magna probabilitate conjicit Heynius Excurs. in Aen. IX. l. c. —

2. Argonautica, fortasse *ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ.*

Fragm. XXI.

Schol. Ap. Rh. I, 287.

Εἶχε καὶ ἀδελφὴν Ἰάσων Ἱππολύτην, ὥς φησιν Ἴβυκος. Ibyci testimonio non utitur Schol. Paris. Apud Apollon. Jaso neque fratrem habet neque sororem.

Fragm. XXII.

Priscian. VI, 18, 92., Tom. I, p. 283. Krehl.

»In eus Graeca sunt et us in i mutantia faciunt genitivum, ut hic Tydeus, Tydei. In hujuscemodi

tamen terminatione quaedam inveniuntur mutatione eus diphthongi in es longum prolata, ut *Ἀχιλλεὺς* Achilles, *Περσεὺς* Perses, *Οὐλιξεὺς* Ulixes. In quo Dores sequimur, qui pro *Φυλεὺς Φύλης*, pro *Ὀρφεὺς Ὄρφης* et *Ὄρφην* dicunt, pro *Τυδεὺς Τύδης*. Sic Antimachus in I Thebaidos *Τύδης τε Οἰνείδης*. Et vocativum in e productum: *τὸν καὶ φωνήσας προςέφης Οἰνείδη Τύδη*, teste Herodiano, qui hoc ponit in primo Catholicorum. Similiter *Ibycus:*

Ὀνομακλυτὸν Ὄρφην.« —

. . . . ⏑ ⏑ —́ ⏑ ⏑ — —

Celeberrimum Orpheum.

In quibus verbis Prisciani cur *Οὐλιξεὺς* reposuerimus declaravimus frgm. XVII. Illi quos consignabamus codd. nonnulla praeterea diverse sistunt, ex quibus potiora delibare liceat. Et Weissenb. quidem pro *Περσεὺς ΠΕΡΣΕΟΥΣ;* iidem codd. confirmant quod dudum solerter investigarat Schellenberg. Antimach. p. 56. *Φυλεὺς* et *Φύλης* pro eo quod nec Krehlius expulit *Φιλεύς, Φίλης*. Nam Gud. *phyleis, philes;* Helmst. *phileys, philes;* Weiss. *phileis, philes.* Tum Gud. *Οινιδης*, Helmst. *Θιδης Θεονιδης*, Weiss. *Τυθες τε Ογνιθης*, omnes literis majusculis. Recte Schellenb. *Τύδης τ' Οἰνείδης*. In altero versu quod Schellenb. ex edd. vett. suscepit *ζωγρήσας*, nullam habet commendationem a nostris, qui in *φωνήσας* recte conspirant; Gud. *Οιννιε Τυδη;* Helmst. *προςεφες Ινηνε Θιδης;* Weiss. *Οιννιε Τυδε*, unde

ab Antimacho profectum suspicamur *Οἰνῄϊε Τύδη*, depravatum id et insolentia formae et ut soni consimiles contigui haberentur. Jam in verbis Ibyci, quem Gud. *Ibicus*, Helmst. *Ybicus* scribunt, Gud. *Ονομακλυτον Ορφη;* Helmst. *ονωμα και Θωνορφη;* Weiss. *ονομακλυτον ορφην*. Vetera exemplaria quum propagassent vitiose *ὄνομα κλυτὸν Ὄρφην*, Schellenb. l. c. emaculavit *ὀνομακλυτὸν Ὄρφην*, consentiente Lobeck. Aglaoph. I, p. 312., nisi quod *Ὀρφῆν* scripsit. Verum eo potius et vestigia codd. ducunt et ipsius mens Grammatici, ut emendemus

Ὀνομακλυτὸς Ὄρφη,

commaculatum illud imperitia Grammaticorum, hac nominativi formae cum vocativo copulatione offensorum. Sed mentem Grammatici quod dicebam, sequentia spectabam animo, quae ita concinnata sunt: »Et quia Graeci ab hujuscemodi nominativis, id est, qui eus in es convertunt, vocativum in e longum terminant, ut *ὦ Τύδη*, *ὦ Ὄρφη*, in eo quoque casu aliquando illos sequuntur Latini, ut Achille, Perse.« Ut igitur *Τύδη* exempli gratia ex Antimacho hausit, ita *Ὄρφη* vocativum Ibyco debet. Ceterum quod nominativi atque vocativi terminationem commisisset Ibycus, videtur Priscianus posuisse: *similiter*, non plane ut Antimachus; quem saepius admiscuisse carminibus suis formas Doricas notat Schol. Nicandr. Ther. 3. Idem affectavit Euphorio, ex cujus frgm. 67. Mein. sublegisse Prisc.

Πέρσης illud videtur, ubi quaedam notavit Meinek., add. Asper ap. Serv. Virg. Aen. VIII, 333., Schneider. Gr. Lat. I, 1, p. 164. deque simili permutatione *ευς* terminationis et *ης*, ut *Ἄρευς* pro *Ἄρης*, 45) Neuium in Sapph. frgm. 88. —

Reposui autem hanc memoriam Ibyci in Argonauticis contra vulgarem opinionem, quae Orpheum a Pindaro demum Pyth. IV, 176. Argonautarum expeditioni additum praedicat. Pherecydes certe jam oblocutus iis videtur, qui Orpheum navigationi interesse fecerant: id enim collegerim ex Schol. Ap. Rh. I, 24. *Φερεκύδης ἐν τῇ στ' Φιλάμμωνα φησὶ καὶ οὐκ Ὀρφέα συμπεπλευκέναι.* Vide de diversitate opinionum Mueller. Orchom. p. 260. Licet autem Ibycius locus primus sit, in quo Orphei appellatio compareat, v. Hoeck. Cretae III, p.

---

45) Locus Sapphicus a Prisc. servatus mendosissimus ante Neuium habebatur, qui Hermanni opera adjutus ingeniose refinxit ita: *ὁ δ' Ἄρευς φαὶς εἶκεν Ἄφαιστον ἄγειν βίᾳ, Mars vero cessit, minatus se Vulcanum vi abducturum.* Quod autem de Martis et Vulcani contentione nihil aliunde cognitum ait Neuius, fallitur: nam luctantur ante Junonem artibus magicis throno alligatam, quod argumentum et in vasorum picturis conspicitur et ab Epicharmo in fabula *Ἥφαιστος ἢ Κωμασταὶ* festivissime explicatum erat, v. Mueller. Dorr. II, p. 345., Grysar. de com. Dorr. I, p. 46., quo recte reposuit locum Sapphicum Mueller. Archaeolog. p. 480, corrigens ille: *ὁ δ' Ἄρευς φαὶς ἤ κεν Ἄφαιστον ἄγειν βίᾳ.* Codex Gud. 64. *Σοδαρευς. φησει. κεναφης. τοαγηιεβια.*

198., tamen appositum *ὀνομακλυτὸς* satis fidem facit, aetate poetae Rhegini late jam sparsam eximii vatis gloriam fuisse. Eaque nobis propagata per Pythagoram ejusque sectatores videtur, qui tempore poetae in Italia inferiore versaretur circa Olymp. LXII, quae est summa rationum temporum rite subductarum a B. Krischio de sodalit. Pythag. p. 3. In errore versatur Bodius *Orpheus* p. 85, qui prius floruisse Ibycum ponat, quam ullus Onomacritus et quam Pythagorae nomen inter antiquos Graecos innotuisset. Falsa poesis Ibyciae species Lobeckii menti videtur insedisse, qui Aglaoph. I, p. 321. haec Ibycia *ex quadam cantiuncula* excerpta credat.

Fragm. XXIII.

Zenob. Provv. II, 45.

Ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἐπιδέχεται οὔτε φιλία. Ὁ Μίλων ὁ παροιμιογράφος Ἰβύκειον τὴν παροιμίαν ταύτην φησὶν ὡς πρώτου χρησαμένου τοῦ Ἰβύκου.

Certamen tergiversationem non recipit neque amicitia.

Proverbium multorum imitatione tritum cur in ludis Peliae locum censeam habuisse explicitum est in Prolegg. p. 45 sq. Zenobius autem non integra verba Ibyci exhibuit: sensum ille atque intellectum respexit. Aeschylum eandem usurpasse sententiam dictum supra est: magnifice Pindar. fragm. inc. 149. *Τιθεμένων ἀγώνων πρόφασις ἀρετὰν ἐς αἰπὺν*

ἔβαλε σκότον. Aristoph. Ach. 392. ὡς σκῆψιν ἀγὼν οὗτος οὐκ εἰςδέξεται. Eurip. Heracl. 722. ἐγγὺς ἀγὼν καὶ μάλιστ' Ἄρης στυγεῖ μέλλοντας. Plat. Cratyl. p. 421, D. οὐ μέντοι μοι δοκεῖ προφάσεις ὁ ἀγὼν εἰςδέχεσθαι. Alludit Coluth. Rapt. Hel. 84. Ἐγγὺς ἀγὼν, quod vitiavit Lennepius non intellectum. Alciphr. Epp. I, 39. καὶ γὰρ οὐ φιλεῖ προφάσεις ἀγὼν. Neque negligam Thucydidium illum Periclem I, 152. τοῦ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί. Incerti poetae ni fallor tragici versiculum servavit Macar. Chrysoc. ap. Walz. in Arsen. Viol. p. 17. Ἀγὼν γὰρ οὐ μέλοντος ἀθλητοῦ μένει ἀλκήν· ἐπὶ τοῦ μὴ ὑπερβάλλοντος. Scribe μέλλοντος, inducatur μή. Ibidemque idem ἀγὼν πρόφασιν διαμένει· δῆλον. Insere οὐ ante διαμένει. Apostol. Cent. I, 29. ἀγὼν δέχεται οὐ σκήψεις. ἐπὶ τῶν μηδὲν ὀνιναμένων εἰ σκήπτοιντο. In universum v. Leopard. Miscell. XIII, 7. —

Sed ludorum istorum quoniam semel facta mentio est, non ab re fore arbitramur, si adjecerimus quaedam corollarii loco in carmen Stesichorium neque a Kleinio neque ab aliis observata. Quae placuit conjicere in

Excursum II.

In Stesichori ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ.

Peliae patri doloso Medeae consilio machinis necato filiarum Acastus ludos funebres instituit Iolci, Apollod. I, 9, 28. Quem morem a vetustissimis inde temporibus apud Graecos floruisse Iliadis Homericae liber XXIII docet, in-

scriptus ille ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ. Fuerunt ludi illi per totam antiquitatem celeberrimi, ut in quibus nobilissimi quique heroes Argonautarum socii decertasse dicerentur: quorum numerus auctus cum iis est, qui expeditioni Jasoneae paullatim inserebantur, ut postremo ne Sibylla quidem defuerit, v. Hygin. fab. 273. Referebantur hi ludi in eos, qui ἐλάττους vocantur magnis illis quattuor ludis certo tempore repetitis, Aristot. pepl. ap. Schol. Aristid. Panath. p. 106. Frommel. πεμπτὸς ὁ ἐν Ἰωλκῷ Ἀκάστου καθηγησαμένου ἐπὶ Πελίᾳ τῷ πατρὶ, unde emendandus Hellad. Chrest. p. 18. Meurs. Celebratos eos poetis epicis qui post Homerum fuerunt evincit, quod in arca Cypseli Thessalis mythis exornata erat ἀγὼν ὁ ἐπὶ Πελίᾳ, Paus. V, 17, 4; idemque in throno Amyclaei, Paus. III, 18, 9. Difficile autem dictu est, quem respexerit artifex arcae: nam illud quidem non recte dixit Neuius in Annall. Berolin. 1829. p. 730. Stesichorum ei ob oculos fuisse. Id quod rationes temporum refellunt. At si conjecturae locus est, fortasse Eumelus ea tractaverat in Corinthiacis, quum et ipse esset ex gente Bacchiadarum orta ex Thessalia, v. Paus. II, 1, 1. Quod autem similitudo quaedam videtur intercessisse inter ea, quae ex Stesichorio carmine accepimus et opera artis illa, ejus rei caussa inde repetenda est, quod Stesichorus ex eodem poeta epico profecit. De throni aetate licet non certo constet, tamen vix Stesichorum artifici exemplar fuisse crediderim. Postea tragicorum ingenia exercuerunt, Thespis, Aeschyli.

Eosdem ludos Musam Stesichoriam lyra sustinuisse nuper demum patefactum est. Ante Sturzium enim Etym. Gud. editorem quum simpliciter Stesichori ἆθλα vel ἄθλους citari vidissent viri docti, de aliis omnibus cogitarunt. Doctiores scriptores ἐπὶ Πελίᾳ adjiciunt, ut Paus. ll. ll. ἀγὼν ὁ ἐπὶ Πελίᾳ dixit. Quae habenda est pro vera inscriptione carminis, quum omnino tales tituli operae Gram-

maticulorum referantur accepti. Kleinius autem quod dixit se ἆθλα carmen inscripsisse, quia *praemia* ab Acasto exhibita saepius laudarentur, id quam vim habeat non perspicio. Non repugno, si quis carmen non ἆθλοι ἐπὶ Πελίᾳ sed ἆθλα inscribere malit, modo id eadem potestate dictum statuatur; quod arbitrii liberi est quum casus rectus nusquam legatur; *ludi* summa fuere carminis. Usitatum ἆθλα pro ἆθλοι posterioribus potissimum scriptoribus v. Intpp. Hygin. p. 80. Staver., quod non reputavit Graev. in Lucian. Soloec. p. 44.

Stesichori carminis quattuor fragmenta complexus est Kleinius: quorum in primo tradit poeta Mercurium Dioscuris Phlogeum et Harpagum equos dedisse, Junonem autem Xanthum et Cyllarum. Nam quum δ' Ἐξάλιθον scriptum esset, δὲ Ξάνθον restituit Hemsterhus. in Lucian. II, p. 338. ed. Bip., planissime confirmans emendationem duobus locis Tertull. de spectac. IX. p. 94. A., Philarg. Virg. Ecl. III, 89., qui ad *poetas Graeculos* provocavit, satis arroganter. Quibus tertius succedat auctor Prob. in Virg. Georg. I, 12. »*Idcirco* (quod aestimatur princeps originis equorum Neptunus) *etiam poetae tradunt, ab eo donatum equum Adrasto Ariona, et Junoni Xanthum et Cyllaron, quos illa dederit Castori et Polluci.*« Hinc et illud lucramur, ut Neptuniam equorum originem et ipsam ex Stesichorio carmine videamus haustam. Qui autem frgm. I. verba in versuum formam redegerunt, vereor ne actum egerint. Nam vel tot spondei dactylorum loco commissi ab eo consilio dehortari debebant estque omnino sterilior oratio, quam quae putetur poetae.

Addam nunc quintum frustulum carminis, quod exstat apud Zenob. provv. IV, 44. *Χειροβρῶτι δεσμῷ. τοῖς πλεκτικοῖς εἵμασι. διὰ τὸ τὰς σάρκας διακόπτειν καὶ ἀναλίσκειν. Βέλτιον δεσμὸν ἀκούειν τὸν ἀποβιβρώσκοντα τὼ χεῖρε. ἐδεήθη γὰρ ἔν τινι πετραίῳ Στησίχορος εὑναρχεῖν τῶν ἐπὶ Πελίαν ἄθλων.*

Ita Schottus, a quo nihil discrepat exemplar Zenob. ann. 1497., nisi quod ab initio *εἵμασι* scriptum praebet. Has tenebras ita vertendo expressit Schottus: »*Vinctus siquidem in petricoso quodam loco Stesichorus, Peliae ut certaminibus bene praeesset.*« Misellum poetam! Ille igitur *ἐδέθη* scriptum cogitavit et *εὖ ἄρχειν*. Erasmus ab initio scripsit *τοῖς Ποντικοῖς εἵμασι*, *Ponticas vestes* commentus; Hartungus *κοπτικοῖς*. Reponendum vidit Leopard. Misc. V, 20. *τοῖς πυκτικοῖς ἱμᾶσιν*; nam loris luctatores manus vinciebant, *χεῖρας ἱμάντι δεθεὶς* Pindar. Emendationem ratam habuere membranae Vaticanae, Hesych., Phavor., apud quos est: *χειροβρῶτι δεσμῷ· τοῖς πυκτικοῖς ἱμᾶσι, διὰ τὸ τὰς σάρκας διακόπτειν καὶ ἀναλίσκειν.* Mittamus in praesens relicua: hoc apparet, verba *χειροβρ. δ.* ex Stesichorio carmine petita esse, quod *ἆθλα ἐπὶ Πελίᾳ* inscriptum fuit. Perperam Pric. Apulej. p. 504. *χειροβρώτῳ*: illud formatum, ut *σιδηροβρὼς*, *ὠμοβρὼς* rell. Est exitus versus dactyl. logaoedici:

. . . . *Χειροβρῶτι δεσμῷ.*

. . . . — ∪ — ∪ — —

»*Vinculo manus arrodente.*«

Sed quid fiat relicuis? Diversarum manuum vestigia cuivis in oculos incurrunt. Ex Suida, qui s. v. *χειροβρὼς* ita scripsit: *χειροβρὼς, χειροβρῶτος. ὁ δεσμὸς ὁ ἀποβιβρώσκων τὼ χεῖρε.* assuta illa sunt: *βέλτιον — τὼ χεῖρε*, accommodatius ad *χειροβρώς*. Quae sequuntur, absurde confusa sunt: Zenob. ad *χειρ. δεσμ.* auctoritatem addidit Stesichori. Pertinuisse ea auguror ad eam carminis partem, in qua descripta erat *ἡ ἐξόπλισις τῶν ἡρώων*, unde refinximus: *Στησίχορος ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπὶ Πελίᾳ ἄθλων.* Quos pugilatu decertantes fecerit, ignotum: in arca *οἱ ἀποτετολμηκότες πυκτεύειν Ἄδμητος καὶ Μόψος ἐστὶν ὁ Ἄμπυκος*, teste Paus. l. c. Hyginus l. c. vicisse tradit *πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα*, qui apud Stesichorum quadrigis certasse videtur cum gemino Castore.

Jam his ita constitutis medicinam facere studebimus mirificis istis verbis: ἐδεήθη γὰρ ἔν τινι πετραίῳ. Ea nos adventitia censemus, non ex ludis Peliae excerpta. In nobilissimis enim Himerensis poetae ᾄσμασι censebatur Geryoneis, qua Herculis in Geryonem expeditionem celebrarat. De qua ita scribit Strabo III. p. 148. C. Ἐοίκασι δὲ οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν Ταρτησσόν. τὰ δὲ Γάδειρα καὶ τὰς πρὸς αὐτὴν νήσους Ἐρυθείαν. διόπερ οὕτως εἰπεῖν ὑπολαμβάνουσι Στησίχορον περὶ τοῦ Γηρυόνος βουκολίου· διότι γεννηθείη σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ἐρυθείας, Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ παγὰς ἀπείρονας ἀργυρορίζους, ἐν κευθμώνων πέτραις, v. Klein. frgm. V. In poetae verbis διότι neque Strabonis potest esse neque Stesichori: qui sermonem a particula aptum censebant, optativum scripserunt, unde ortum aliorum γεννηθείς. Vera scriptura est in quam incidit Heringa observatt. p. 303. γεννήθη. Id quod et res ipsa flagitat, (nisi in σχεδὸν voce verbum finitum lateat, ut σχέθεν) et, ut puto, doctus Zenobii interpolator pulchre confirmat. Is enim quum apud Zenobium Stesichorum commemoratum vidisset, statim, ne de mente elaberentur, in margine exempli allevit, quae ex Geryoneide ejusdem poetae Strabo duxit, non integra illa sed quo memoriae succurreret et initium et exitum. Reputatis igitur omnibus Zenobii articulum ita concinnavimus: Χειροβρῶτι δεσμῷ. τοῖς πυκτικοῖς ἱμᾶσι. διὰ τὸ τὰς σάρκας διακόπτειν καὶ ἀναλίσκειν. [βέλτιον δεσμὸν ἀκούειν τὸν ἀποβιβρώσκοντα τὼ χεῖρε.] (ἐγεννήθη γηρ, i. e. γηρυόνης, ἐν κευθμῶνι πετραίῳ)· Στησίχορος ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπὶ Πελίᾳ ἄθλων. Quod vulgatum erat in Stesichoriis ἐν κευθμώνων πέτραις varie tentatum est, quum alii ἐν κευθμῶσι πετρῶν, alii ἐν κευθμῶν πέτρας suspicarentur scribendum; falso. Scintilla veri delituit in codd. scriptura πέτραις, quae quum ex πετραίῳ, quod a Zenobii interpolatore servatum est, corrupta esset, κευθμῶνι eodem vitio affici debebat, quum genitivo

opus esset. De eodem Geryone Hes. Theog. 294. *σταθμῷ ἐν ἠερόεντι.* Jam emendabimus et illud *διότι*: quod ex falsa pronunciatione ortum removebitur certissime scribendo *τηλόθι*. Ut integrum frgm. Stesich. jam hoc sit:

Τηλόθι γεννήθη σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ἐρυθείας,
Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πᾶγας ἀπείρονας ἀργυρορίζους,
ἐν κευθμῶνι πετραίῳ . . . .

–́ ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – –
× – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
× – –́ ⏑ ⏑ – – . . . .

Correxi quod tenuerunt adhuc *παγάς*. In eo tamen mihi Neuius l. c. errare videtur, quod correptum illud *α* Siculae dialecti censet. Ex epica potius poesi inprimis Hesiodi suscepit poeta, cui reputandum est legitimam hanc correptionem esse, v. M. Isler. quaestt. Hes. spec. p. 6., qui ibidem recte idem obtinere apud Tyrtaeum observavit secutus Buttm. Gr. ampl. I, p. 144, not. 10., cll. Goettling. praef. Hes. p. XVI. — Unum h. l. addo ad Geryoneidem. Ad frgm. VIII, ubi sermo de Hercule a Pholo Centauro hospitio excepto, respexit Theocr. VII, 149.

Ἆρά γε πω τοιόνδε Φόλω κατὰ λάϊνον ἄντρον
κρητῆρ' Ἡρακλῆϊ γέρων ἐστάσατο Χείρων;

Cfr. Scholl. h. l. et Welcker. Tril. Aesch. p. 169. —

Adjicio in fine aliud frgm. Stesichori Kleinio praetermissum, quod est in Scholl. Vaticc. in Incert. Rhes. 5. *Ὅτι οἱ ἀρχαῖοι εἰς τρεῖς φυλακὰς νέμουσι τὴν νύκτα. Ὅμηρος δὲ ἀλλότε δὴ τριχὰ ἔην, μετὰ δ' ἄστρα βεβήκει. Στησίχορος δὲ ὁ σιμωνίδης, πάντα φύλ . . . . φησὶν ὑποτίθεσθαι τὴν νύκτα.* Pro *ὁ* lege *καί*, pro *πάντα φυλ . . . .* autem *πενταφύλακον* cum L. Dindorfio. — Denique accedat Dionys. Thrax ap. Bekk. An. p. 845, 26. *ἔνδοθεν, ἔξοθεν παρὰ Στησιχόρῳ*; eadem Varin. Ecl. p. 445. Dindorf. Cfr. Hartung. de cass. p. 176. —

3. Aetolica.

Fragm. XXIV.

Diomed. Gramm. I, p. 310. Putsch.

Postquam exemplis corroboravit esse ubi nomina gentilia descendant a matre, (v. ad fragm. XXVII.), avo (cfr. in frgm. XVII.) pergit: »aut a filiis, ut Althea (scr. Althaea) Meleagris, sicut *Ibycus* Graecus retulit.« Dixit igitur poeta:

Ἀλθαία Μελεαγρίς, ... — — ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑̄

Thestii ex Eurythemide filiae Althaea, Leda, Hypermnestra, Apollod. I, 7, 10. Et Althaea quidem Oeneo nupsit regi Calydonis, ex qua praeter alios filios suscepit Meleagrum. Qui quum fortitudine emineret inter fratres, mater in honorem ejus Meleagridis cognomen adepta est. Fuere adeo, qui verum patrem non Oenea, sed Martem perhiberent fuisse, velut Eurip. Meleagr. ap. Plutarch. Morall. p. 312, A.

Fragm. XXV.

Schol. Apoll. Rh. I, 146.

Εἰκότως Αἰτωλὶς ἡ Λήδα, ἐπεὶ Αἰτωλὸς ὁ Θέσπιος. καὶ εἴρηκεν ἀπὸ τῆς χώρας, ὡς εἴ τις τὸν Συρακούσιον Σικελὸν εἴποι ἢ τὸν Ῥωμαῖον Ἰταλόν. Ὁ δὲ Ἴβυκος Πλευρωνίαν φησίν, Ἑλλάνικος δὲ Καλυδωνίαν. Φερεκύδης δ' ἐν τῇ β' ἐκ Λαοφόντης τῆς Πλευρῶνος Λήδαν καὶ Ἀλθαίαν Θεσπίῳ γενέσθαι φησίν, Sturz. frgm. 8.

Interest proprie Calydoniumne aliquem an Pleuronium appelles: diversis enim populis Aetolia habitabatur, quum Calydon esset Aeolum atque Aetolorum, Pleuronem tenerent Curetes, v. C. O. Mueller. Explicatt. mappae geogr. Graec. super. p. 27. Sed quum Aeolibus cessissent Curetes cum iisque Pleuron urbs, non accurate cui quis genti accenseatur ubique custodiunt scriptores. Velut quam relicui Calydoniam vocant, Soph. Trach. 7. Pleuronia est Deianira. Illam autem utriusque urbis conjunctionem declarat genealogia illa, quae utramque a Pleurone atque Calydone Aetoli ex Pronoa filiis nomina accepisse fert, v. Apollod. I, 7, 7.

Fragm. XXVI.

Schol. Ap. Rh. IV, 57., Eudoc. Viol. p. 148.

Ἴβυκος ἐν πρώτῳ Ἤλιδος τὸν Ἐνδυμίωνα βασιλεῦσαι φησί. Et paullo post: *φασὶ δὲ αὐτὸν οἱ μὲν Σπαρτιάτην, οἱ δὲ Ἠλεῖον.* Addit alios aliter decernentes.

Teste Apollod. I, 7, 5. ex Thessalia duxit Aeoles Elidemque condidit. Is filium habuit Aetolum, qui suo de nomine regionem dixit, v. Apollod. l. c., Sturz. Pherecyd. p. 88., Voelcker. Mythol. Iapetid. p. 346., Mueller. Prolegg. p. 222., qui deum Endymionem, Lunae amatum, veteri Lelegum cum Epeis commixtorum religioni ascribit. Quos Lunae amores utrum tetigerit poeta, ubi Elidis regem fecerat Endymionem, an in descri-

ptione venationis apri Calydonii, nequit dirimi. — Ceterum liber Paris. primi libri memoriam reticuit; tum Valcken. in Callim. Eleg. p. 70. de fabulis Endymionis verba faciens pro *Σπαρτιάτην* emendavit *Καριάτην*, h. e. *Κᾶρα*. Nam teste Steph. Byz. s. v. *Καρία. ὁ οἰκήτωρ Κάριος καὶ Καριάτης.* Turbatus autem videtur Stephani locus dubitarique quam maxime potest, utrum de arce Megarensium Caria illud ethnicum nomen voluerit intelligi, an, quod quidem vix credibile, de natione Carum. Igitur haereo.

4. Herculea.

Nullam miror Ibyci habuisse rationem eum, qui nuper laudabili instituto Herculeas res ex ordine scriptorum enarrare suscepit, dico *Vogelium, Hal. Sax.* 1830, 4. In qua ille caussa habet, quo se tueatur veteris scriptoris exemplum multifariam eruditi, Plutarchi, qui nobilissimo loco de Herodot. malign. II, p. 857, E. vel indignum habuit poetam quem relicuorum seriei interjiceret, vel quod inclinat animus ut magis credam, ignoravit. Ibi haec scripta sunt: *Καίτοι τῶν παλαιῶν καὶ λογίων ἀνδρῶν οὐχ Ὅμηρος, οὐχ Ἡσίοδος, οὐκ Ἀρχίλοχος, οὐ Πείσανδρος, οὐ Στησίχορος, οὐκ Ἀλκμὰν, οὐ Πίνδαρος Αἰγυπτίου ἔσχον λόγον Ἡρακλέους ἢ Φοίνικος, ἀλλ' ἕνα τοῦτον ἴσασι πάντες Ἡρακλέα τὸν Βοιώτιον ἡμῖν καὶ Ἀργεῖον.* Neque vero fore credo, qui silentium Plutarchi eo repe-

tendum existimet, quod poeta Rheginus et *παλαιὸς* et *λόγιος ἀνὴρ* ut illi, digressus a priorum sententia poetarum novum quendam arcessiverit Herculem eumque abhorrentem ab indole ejus, qualem proposuerant illi. Cujus pravitatem opinationis hae ipsae reliquiae coarguent.

Fragm. XXVII.

Athen. II, p. 57, F.

Ἴβυκος ἐν πέμπτῳ μελῶν περὶ Μολιονιδῶν φησί·

Τούς τε λευκίππους κόρους
τέκνα Μολιόνας κτάνον,
ἅλικας, ἰσοκεφάλους, ἑνιγυίους
ἀμφοτέρους γεγαῶτας ἐν ὠέῳ ἀργυρέῳ.

–́ ⏑ – – –́ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ ⏒ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

Albisque vectos equis juvenes filios Molionae intercepi, aequales, pares capitibus, unimembres, utrumque prognatum in ovo argenteo.

Huc spectat Eustath. p. 1321, 21. Rom. *Ὅμηρος μὲν διδύμους ἱστορεῖ ἁπλῶς. οἱ δὲ, κατ᾽ Ἀρίσταρχον, οὐχ οὕτως οἷον κατὰ τοὺς Διοσκούρους, ἀλλὰ κατὰ τὸν Ἡσιόδου μῦθον καὶ διφυεῖς, δύο μὲν ἔχοντας σώματα, συμπεφυκότας δέ γε ἀλλήλοις. — Ῥητέον δ᾽ ἐνταῦθα καὶ ὅτι τῷ διφυεῖ τῶν Ἀκτοριώνων τιθέμενος καὶ ὁ μελοποιὸς Ἴβυ-*

κός φησι καὶ τοὺς Μολιονιδὰς ἐξ ὠοῦ γεννηθῆναι, ὁμοίως δηλαδὴ τοῖς Διοσκούροις, εἰπὼν αὐτοὺς ἅλικας, ἰσοκεφάλους rell.

Retttuli haec inter Herculea, quoniam aperte Hercules de obtruncatione mirifici fratrum paris loquens a poeta est inductus, gloriatus ille et in insequentibus, ut orationis conformatio fidem facit, de aliis facinoribus a se perpetratis. Cteatus et Eurytus Molionidae sive Actoriones caussa fuerant infausti exitus expeditionis Herculeae in Augiam, Paus. V, 2, 1. Missos posthac *θεωροὺς* eos ad Isthmiorum ludorum sollemnitatem juxta Cleonas exstinxit, Pind. Ol. XI, 26 sqq. ibique Boeckh. Erroris convincit Ibycius locus Vogelium, qui l. c. p. 30. Pindarum demum et Hecataeum has tetigisse poenas persuadere conetur. Jamque teste Paus. III, 18, 9. *Ἡρακλῆς ἀποκτείνων τοὺς παῖδας τοὺς Ἄκτορος* in throno Amyclaei fuit. Unde concludas jam poetis epicis antiquioribus rem memoratam.

V. 1. *Κόρους* edidi de sententia Dindorfii flagitatum mensura versus, non curans delirantem Schol. Eur. Hec. 924. *Λευκίππους* honorifice poeta appellavit aurigas nobilissimos nobilissimis usos equis. Candidis enim vehi non in minima decoris atque nobilitatis parte censebatur, unde *λευκόπωλοι Τυνδαρίδαι* Pind. P. I, 66., Boeckh. Expll. p. 273., iidemque *κόροι λεύκιπποι* Eur. Hel. 639., Pherecyd. p. 137. Sturz.; Zethus et Amphion Eur. Herc. fur. 29., Phoen. 609. ibique Valcken., iidem *Διὸς κοῦ-*

ϱοι λευκόπωλοι ap. Schol. Ambros. Od. XIX, 423. Hinc posteriore etiam aetate in luxuriae sensum interpretabantur, v. Ulpian. in Demosth. Mid. p. 87, D. Buttm. Bono episcopo Thessalonicensi quum in Il. Hom. p. 524, 28. Rom. ex Herodiano repetiit: *λεύκιππος καὶ παρὰ Στησιχόρῳ λέγεται ἐπιθετικῶς*, Ibycius locus obversatus videtur. — 2. Vituperandus Casaub., qui optionem dederit inter *Μολίονας* et *Μολιόνας*. Nam licet Pindar. post Hom. Il. XI, 750. *Ἀκτορίωνε Μολίονε* dixerit, qua de forma v. Hemsterh. Arist. Plut. p. 325., Buttm. Gr. ampl. II, p. 333., tamen h. l. nomen matris ad *τέκνα* requiri certum est. Mater eorum Moliona teste Hesiodo ap. Phot. s. v. *Ἡσίοδος ὡς Μολιόνης υἱοὺς γεγονέναι παραδίδωσι*, v. Albert. in Hesych. II, p. 615., Apollod. II, 7, 2. Unde filii *Μολίονε*, uti saepiuscule a matribus ducuntur matronymica, *abusive* dicit Diomed. Gr. I, p. 310., ut Chiron Philyrides. Pater eorum vel Actor dicitur Phorbantis vel *εὐρυκρείων Ἐνοσίχθων*, v. Hom. Il. XIII, 206. Inter quem et filios artum intercessisse nexum vel *θεωρία* Isthmia docet ab eodemque Neptuno *ἱππίῳ* rei equestris peritiam quasi hereditario jure nacti sunt. — *κτάνον*. Ita codd. optimi A. B. C. Dindorf.; Aldus quum *κτανόνταν* monstrose exhibuisset, Ursinus se *κτανόντα* maluisse scribere professus est. Quod nisi optimorum librorum auctoritas intercederet, qui Herculem ipsum loquentem faciunt inductum, facile eo propensus animus

foret, ut inde *κτανόνθ'* elicerem, de quo apostropho in terminatione versus cfr. Boeckh. de crisi Pind. §. 6. — 3. *ἰσοκεφάλους*. Quum Meinekio in Menandr. p. 11. in metrum peccatum videretur, *ἰσοπάλους* proposuit scribendum. Sed ut Pindarus *ἴσος* brevi priore habet, ita eadem uso mensura Ibyco solvere licuit dactyli formam, v. Prolegg. p. 74. Praeterea intellectum ubi spectes, Meinekii illa conjectura non vacat offensu: nam quaecunque de mirificis fratribus poeta praedicat, in externae formae similitudinem spectant omnia, non aequalitatem virium. Ceterum cuique facile in memoriam redit versus Homericus, qui est Od. XVIII, 372. de pari boum:

ἥλικες, ἰσοφόροι, τῶντε σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.

Ἐνιγυιοὺς Dindorf. sanavit, quum relicui *ἐνιγυοὺς* tuerentur; at verum jam exhibuit Junius Adagg. Cent. V, 31. Idemque Dind. cum Schweigh. versu 4. *ὠέῳ* reduxit ex Eustathio; antea scribebant *ὠεῷ* praeter Jun. l. c. Disputatio autem est ap. Athen. l. l. et Eustath. Il. p. 1686, 24. Rom. de formis v. *ὠὸν ὤεον, ὤϊον* ex diversis poetis allatis, cfr. Neu. Sapph. frgmm. XXX, XCV, adde Jacobs. Anthol. Pal. p. 663; 723. Videtur *ε̄* illud sive *ῑ* successisse in locum digammi, quod habuisse vocabulum et forma Dorica testatur, quae est *ὤβεα. τὰ ὠά. Ἀργεῖοι.* Hesych., et *ovum* Latinorum.

Sed ut quas paullatim passa mutationes sit prisca fabula Epeorum, iis enim propria fuit atque peculiaris, cognoscatur et quid Ibyco in exornanda eadem debeatur pateat, apponenda quaedam judicavimus de his fratribus illustribus. Et illud quidem pulcherrime perspexit Welcker. ad Schwenk. p. 307 sqq., in antiquissima religione gentis lapides molares hoc fabulae integumento obductos fuisse, ipso nominis fonte veritatem sententiae arguente. 46) Decursu autem aevi factum est, ut pro amicissimo fratrum pari aestimarentur, v. Plutarch. amor. fratern. I, p. 478, C., qui junctim artis bellandi eximie periti certamina adirent victores. Hom. Il. XXIII, 641.

οἱ δ' ἄρ ἔσαν δίδυμοι· ὁ μὲν ἔμπεδον ἡνιόχευεν,
ἔμπεδον ἡνιόχευ', ὁ δ' ἄρα μάστιγι κέλευεν.

ubi Scholl. Ven. annotant Aristarchum intelligere *τοὺς διφυεῖς, δύο ἔχοντας σώματα, Ἡσιόδῳ μάρτυρι χρώμενος, καὶ τοὺς συμπεφυκότας ἀλλήλοις.* In eo igitur concordant Hesiodus et Ibycus, quod *συμφυεῖς* fuerint, *ἐνιγυῖοι;* distinctae autem per-

---

46) Aliter sensit Sturz. in Pherecyd. p. 179 sqq.; cum Welckero facit Voelcker. de Aloidis in Seebod. bibl. cr. 1828, I, p. 11 sq.; qui in eo fallitur, quod secutus Nonn. ap. Creuzer. Mell. I, p. 83. et matrem Aloidarum Molionae nomine significari statuit. Qui merum errorem esse applicatum illum a Molionidis ad Aloidas, aperte monstrat ineptum Schol. ined. ap. Walz. in Arsen. Viol. p. 394.

sonae membrisque utuntur suis uterque simillimis, sed in unam speciem coaluere infra, plane ut fraterculi Siamitae. Fabula autem de ovo argenteo, in cujus explicatione non satisfacit Heyn. Apollod. p. 285., peculiaris est poetae Rhegino, quam qui legerit, Ledae ovum *ὑακίνθινον* reminiscetur, quod Neuius Sapph. p. 56. recte ex doctrina mystica repetit, licet oblocutus sit Lobeck. Aglaoph. II, p. 1257. Ibycus num forte Orphicorum placita in usum suum converterit dubito. — Fabulae varietates siqui persequi uberius velit, ei materiem suppeditabunt Pherecyd. ap. Scholl. Ven. Il. XI, 708., Creuzer. Melett. l. c., Ruhnken. in Scholl. Plat. Opuscc. II, p. 548. Friedem., Clavier. in Apollod. p. 306., adde Basil. scholl. in Greg. Naz. XX, p. 332. apud Boissonad. ad Herodian. *ἐπιμερισμ.* p. 87.

Fragm. XXVIII.

Schol. Ap. Rh. II, 778.

Πολλοὶ λόγοι περὶ τοῦ τῆς Ἱππολύτης ζωστῆρος εἰσίν. Τινὲς μὲν γὰρ Ἱππολύτης, ἄλλοι δὲ Δηϊλύκης. Ἴβυκος δὲ ἰδίως ἱστορῶν Οἰολύκης τῆς Βριάρεω θυγατρός φησιν.

Hippolytam praeter Apollon. l. c. relicui vocant quos noverim omnes, Apollod. II, 5, 9., Diod. Sic. IV, 16., Zenob. V, 33., Eudoc. Viol. p. 35. cum aliis. De expeditione Herculea v. Heyn. in Apollod. p. 153. Ceterum Ibycus Oeolycam suam no-

minat filiam Briarei *τοῦ δεινοῦ*, ut horrendam atque virilis animi feminam, v. Welcker. ad Schwenk. p. 310., Trilog. Aesch. p. 148.

Fragm. XXIX.

Etym. M. p. 428, 28. Sylb.

Ἤλσατο βοῦς. Ἴβυκος *παρὰ τὸ ἠλάσατο.*

–́ ◡ ◡ —

Abegit boves. Rettulerim ad boves Geryonis ab Hercule abactos. Cfr. Prolegg. p. 56. Nulla autem caussa fuit Passovio lex. s. v., ut ad *εἴλειν* reduceret, cujus inusitatum medium, contempta fide Grammatici, v. Prolegg. p. 70. Fallitur Passov. et in eo, quod Ibycum et Simonidem *ἠλσόμην* Aor. II scripsisse docet. Apud quem et ipsum forma *ἠλσάμην* legitur Simonidem in Et. M. p. 634, 6., praeclara emendatione Buttmann. Lexil. II, p. 147. correxit, cui Ibycium non fuit offensui.

Fragm. XXX.

Scholl. Arist. Nubb. 1052.

Ἴβυκός φησι, τὸν Ἥφαιστον κατὰ δωρεὰν ἀναδοῦναι Ἡρακλεῖ λουτρὰ θερμῶν ὑδάτων. ἐξ ὧν τὰ θερμὰ τινὲς φασιν Ἡράκλεια λέγεσθαι. οἱ δέ φασιν, ὅτι τῷ Ἡρακλεῖ μογήσαντι ἡ Ἀθηνᾶ θερμὰ λουτρὰ ἐξανῆκεν, ὡς Πείσανδρος·

τῷ δ' ἐν Θερμοπύλῃσι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
ποίει θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

Hinc Apostol. IX, 95. cum eoque. Arsen. Viol.

p. 278. *Ἡράκλεια λουτρά. ἐπὶ τῶν δῶρα λαμβανόντων. κατὰ δωρεὰν γὰρ ὁ Ἥφαιστος ἀνέδωκε λουτρὰ τῷ Ἡρακλεῖ.* Ubi v. annotationem Walzii. Eustath. Il. p. 1279, 2. Rom. *θερμὰ λοετρὰ ἔφη πρὸς διαφορὰν τῶν ψυχρῶν, οἷς οἱ καλοὶ* (scr. *παλαιοὶ*) *ἥρωες ἱδρῶ ἀπεψύχοντο. τὰ δὲ τοιαῦτα καὶ Ἡράκλεια λουτρὰ ἡ παροιμία ἔλεγεν· ἦσαν δὲ ταῦτα πρώτως καὶ κυρίως τὰ ἐκ γῆς αὐτοφυῶς ἀναδιδόμενα ἐπὶ ἀναψυχῇ φασιν Ἡρακλέους ἀθλοῦντος. ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος, ὃν οἶδε καὶ ὁ κωμικὸς ἐν νεφέλαις, τοῖς ἀποσεμνύνουσι τὴν τρυφὴν ἐθέλει συμφωνεῖν, οἵπερ οὐ μόνον τὰ ἐκ γῆς φαινόμενα πάντα θερμὰ λοετρὰ ἱστόρουν τῷ Ἡρακλεῖ, ἀλλὰ καὶ τὰς μαλακὰς στρωμνὰς Ἡρακλέους κοίτας ἐκάλουν, ὡς οἷα τρυφεροῦ.* Cfr. eundem in Od. p. 1594, 16. et quem compilavit Athen. XII, p. 512, F. De Pisandro consentit Zenob. VI, 49. *ὡς φησὶ καὶ ὁ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους.* Nam *Pisandrum* praeter alios substituit Ruhnken. ap. Heyn. Exc. I. in Aen. II, p. 287. sive Opuscc. II, p. 411. Friedem. Conspirat cum narratione Pisandri Herod. VII, 176. — Diodor. IV, 23. in Sicilia refert Nymphas Herculi parasse calida lavacra *πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν τῆς κατὰ τὴν ὁδοιπορίαν γενομένης αὐτῷ κακοπαθείας.* In suam regionem transtulerunt Himerenses, quorum civitas posthac Thermae vocata, ut arguunt numi, v. Eckhel. doctr. num. I, p. 214., Boeckh. Expll. Pind. p. 210., Muell. Dorr. I, p. 427. Quum autem diversis re-

gionibus haec lavacra Herculis in usum aperta dicerentur, non mirum est diversis id beneficium Diis tribui. Ita Minervae loco Vulcanus auctor apud Ibycum perhibebatur ex hominum suorum persuasione opinor, quum is tractus Italiae inferioris et terrarum motibus frequenter concuteretur et subterraneis ignibus abundaret, quibuscum conjuncti erant fontes *θερμῶν ὑδάτων*. Recte igitur et simpliciter poeta Rheginus neque confudit alteruter vel Ibycus vel Pisander rem atque detorsit, ut visum Lucae de Minerv. cogn. *γλαυκῶπ.* p. 18. Nam Minervam Pisander ideo hoc munere gratificatam esse Herculi scripsit, quoniam ea ubique Herculi fautrix atque praesidium affuit. Nam id ego potius caussae dixerim esse, quam quod placuit Welckero Trilog. Aesch. p. 279. ideo variasse poetas, quia utriusque numinis natura atque indoles simillima fuerit. At ea similitudo posita in eo, quod Minerva divino, terrestri et subterraneo igni Vulcanus praesidebat. Nymphis autem quod ab aliis id negotii assignatur, eae quasi ministrae voluntatis divinae sunt, v. Diod. V, 3. Qui plura velit adeat Walch. de deo Melitenss. p. LI.

Quod vero ad Herculem communi religione haec lavacra referebantur, et erant qui ipsum sibi aperuisse testarentur, v. Phot. s. v., ejus rei rationem alii expediunt aliter. Velut Buttm. Mythol. I, p. 259. ad Herculem medicum pertinuisse statuit.

Contra Welckerus Trilog. Aesch. p. 178. ab Hercule dactylo Eleorum in Thebanum heroem derivata censuit et ad artem gymnasticam spectare credita. Quam rationem merito reprobavit Lobeck. Aglaoph. II, p. 1168. Res haec est. Quum Hercules athletarum praeses coleretur, quos usos constat balneis calidis post certamina ad fessa sudore membra reparanda, factum est, ut *θερμὰ λουτρὰ* et ipsa vel originem ab eo nacta vel ab eo primum usurpata putarentur, cfr. Heffter. de cultu Rhodiorum I, p. 15 sqq. Rem in risum detorserunt fabularum satyricarum auctores, qui Herculem omnium heroum maxime vel ob voracitatem vel ob mollitiem cavillari consuessent. Quae caussa exstitit, ut calida lavacra mollium hominum, de quibus v. Goettling. Hes. Opp. 753., ab heroe Thebano instituta crebraque usurpatione commendata existimarentur.

III. *Carmen in Dianam Ortygiae, ut videtur.*

Fragm. XXXI.

Ἡ Ἀρέθουσα κρήνη ἐν Συρακούσαις τῇ ἐν Σικελίᾳ, ᾗ φασὶ διὰ πελάγους Ἀλφειὸν ἥκειν, ὥς φησιν Ἴβυκος παριστορῶν περὶ τῆς Ὀλυμπίας φιάλης.

Quibus subjicit Schol. Ursini: *Ἴβυκός ἱστορῶν περὶ τῆς Ὀλυμπίας φιάλης Σικελικὴν κρήνην τὴν Ἀρέθουσαν εἶναί φησι καὶ ὑπὸ Ἀλφειοῦ πληροῦσθαι.*

Spectemus nunc primum verba; *ᾗ φασιν — ἥκειν* non tulit Heins. lectt. Theocr. p. 305. scribens *συνήκειν*: codd. Vaticc. 3. 5., Callierg., Urs. *ἥξειν.* Explica vulgatam: in cujus gratiam, amorem venisse perhibetur; qui usus dativi pervagatus est, ut Eur. Iph. Aul. 1345. *ᾧ σὺ δεῦρ' ἐλήλυθας.* — *Παριστορεῖν*, pro quo Schol. Urs. simplex exhibet *ἱστορεῖν*, verissime interpretatur Toupius ap. Gaisford. ad h. l. *fabulam narrare*, quo sensu et alias legitur et apud Plutarch. Plac. Philoss. II, 24. Xenophanes *παριστόρηκε καὶ ἔκλειψιν ἡλίου.* Olympiam autem phialam quum concoquere non possent, in emendandum proclives ferebantur edito-

res. Heinsius enim lectt. Theocr. p. 306. *Ὀλ. πάλης;* Wartonus autem quum Vatic. 5. *φάλης* offerre accepisset, proposuit *φίλης*, *de Olympia amasia*, ne scilicet poeta amator ab ingenio suo degenerasse videretur, quae et inepta conjectura est et leges violans Grammaticae; debebat enim scribere: *περὶ τῆς Ὀλ. τῆς φίλης* vel *τῆς φίλης Ὀλυμπίας.* Nempe narraverat poeta eandem fabulam, de qua Timaeus ap. Antig. Caryst. 155. *ταῖς Ὀλυμπικαῖς ἡμέραις ὅταν ἐν τῷ ποταμῷ ἀποπλύνωσι* (ita enim indicativum corr. Goeller. de sit. Syr. p. 303.) *τῶν θυμάτων τὰς κοιλίας, οὐ καθαρὰν εἶναι τὴν ἐν τῇ Σικελίᾳ κρήνην, ἀλλὰ ῥεῖν ὄνθῳ· φησὶν δὲ καὶ φιάλην ποτ' εἰς τὸν Ἀλφειὸν ἐμβληθεῖσαν ἐν ἐκείνῃ φανῆναι· τοῦτο δ' ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος.* Strabon. VI, p. 270. Cas. *Μυθεύουσι τὸν Ἀλφειὸν εἶναι τοῦτον ἀρχόμενον μὲν ἀπὸ τῆς Πελοποννήσου, διὰ δὲ τοῦ πελάγους ὑπὸ γῆς τὸ ῥεῖθρον ἔχοντα μέχρι πρὸς τὴν Ἀρέθουσαν, εἶτ' ἐκδιδόντα ἐνθένδε πάλιν εἰς τὴν θάλατταν. Τεκμηριοῦνται δὲ τοιούτοις τισί. Καὶ γὰρ φιάλην τινα ἐκπεσοῦσαν εἰς τὸν ποταμὸν ἐνόμισαν ἐν Ὀλυμπίᾳ δεῦρο ἀνενεχθῆναι εἰς τὴν κρήνην· καὶ θολοῦσθαι ἀπὸ τῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ βουθυσιῶν. Ὅ τε Πίνδαρος ἐπακολουθῶν τούτοις εἴρηκε.* (Nem. I, 1.)

Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ
Κλεινᾶν Συρακοσσᾶν θάλος Ὀρτυγία.

Συναποφαίνεται δὲ τῷ Πινδάρῳ ταὐτὰ καὶ Τίμαιος ὁ συγγραφεύς. Et posthac rem studet infringere

leviter ratiocinando, non assecutus originem et vim fabulae. Eodem respexit Achill. Tat. I, 18. p. 24. Jacobs. Ὅταν ᾖ τῶν Ὀλυμπίων ἑορτὴ πολλοὶ μὲν εἰς τὰς δίνας τοῦ ποταμοῦ καθιᾶσιν ἄλλος ἄλλα δῶρα· ὁ δὲ εὐθὺς πρὸς τὴν ἐρωμένην κομίζει. καὶ ταῦτα ἐστὶν ἕδνα ποταμοῦ, v. Intpp. Lucian. diall. marin. II. p. 353. Bip., Senec. quaestt. natt. 3, 26. Eandem igitur fabulam narrarat poeta Rheginus, ut Arethusam doceret Alphei undis compleri; narraverat Alpheum labentem subter mare misceri fonte Syracusano Arethusa, quae fabula communi Siculorum hominum persuasioni inhaerebat. Exposuit de origine celebratissimae per totam antiquitatem fabulae Dissenius Expll. Pind. p. 350. et O. Mueller. Prolegg. Mythol. p. 135 sqq.; locos vett. constiparunt Hand. Stat. Silv. I, 2, 203., Boisson. Nicet. Eugen. T. II, p. 207., Oberlin. Vib. Seq. p. 219., Creuzer. Melett. p. 78 sqq. et qui pleraque omnia complexus est, Cluver. Sicil. antiq. p. 159. Neque defuerunt similes de fluviis Germanis narrationes, vid. Monumm. Paderborn. p. 220. —

Quale autem fuisse censebimus carmen illud, quo haec complexus fuit poeta Rheginus? Conjicio hymnum fuisse in Dianae honorem conscriptum, quae et ansam dedit fabulae et in Ortygia religiose culta fuit neque minus Rhegii, ubi templum fuit Phacelitidis nuncupatae ab Oreste exstructum, ut perhibebant, v. comment. nostram de Diana Phac. et Orest. p. 21 sqq.

Fragmm. XXXII. XXXIII. XXXIV.

Schol. Pind. Nem. I, 1. p. 427. Boeckh.

Ἡ Ὀρτυγία πρότερον μὲν οὖσα νῆσος, εἶτα προσχωσθεῖσα χεῤῥόνησος γέγονεν, ὥς καὶ Ἴβυκος ἱστορεῖ· Παρὰ χέρσον λίθινον τὸν παλάμαις βροτῶν· πρόσθε νιν πέδα νηριτᾶν ἰχθύες ὠμοφάγοι νέμοντο.

Strab. I. p. 102. A. Cas.

Καθάπερ ἐπὶ τῆς πρὸς Συρακούσας νήσου νῦν μὲν γέφυρά ἐστιν ἡ συνάπτουσα αὐτὴν πρὸς τὴν ἤπειρον, πρότερον δὲ χῶμα, ὥς φησιν Ἴβυκος, λογαίου λίθου, ὃν καλεῖ ἔκλεκτον. Similia Schol. Thuc. VI, 3.

Athen. III, p. 97. B.

Ἀρχίλοχος τῆς χηράμβης μέμνηται, τοῦ δ' ἀναρίτου Ἴβυκος. καλεῖται δ' ὁ ἀναρίτης καὶ ἀνάρτης. κογχῶδες δὲ ὂν τὸ ὄστρεον προσέχεται ταῖς πέτραις, ὥσπερ αἱ λεπάδες.

Apud Schol. Pindaricum quum Romana editio *παῖδα νήριτον* praeberet, Ursin. p. 319. »*Emendavimus*, inquit, *πέδον νήριτον, hoc est, τὸ ἀεὶ ῥέον. Sic etiam Latini poetae aequor dixerunt mare.*« Suscepere hanc sive emendationem sive depravationem Heynius et Beckius, Romanae scripturam expressit Stephanus, qui in eo verissime egit, quod post *βροτῶν* lacuna locata significavit excidisse participium, ligandum illud cum *τόν;* quo nunc non opus esse apparebit infra. Proxime ad verum accessit Casaubonus, qui in calce

Pind. Steph. et in comm. Strabon. p. 59. in hanc speciem verba conformavit:

πρόσθεν νιν πέδα Νηρήδων.

Palmari cura totum locum Schol. Pindari non uno ulcere saucium persanavit Boeckhius, qui collatis testimoniis omnibus in hanc normam verba poetae redegit, comprobatus Boissonadio:

Πὰρ χέρσον λίθινον
ἔκλεκτον παλάμαις βροτῶν·
πρόσθεν νιν πέδα νηριτᾶν
ἰχθύες ὠμοφάγοι νέμοντο.

×̲ — ´— ⏑ ⏑ ⏒
×̲ — ´— ⏑ ⏑ — ⏑ —
×̲ — ´— ⏑ ⏑ — — —
´— ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑

Juxta solum lapidosum electum manibus mortalium: antea id cum cochleis pisces crudivori incolebant.

V. 1. Quod Strabo Ibyci *λίθον ἔκλεκτον παλάμαις βρ.* idem vult esse atque *λογαῖον λίθον*, vereor ne erraverit. Nam *λίθοι λογαῖοι*, *λογάδην*, *λογάδην πεποιημένοι*, Thuc. IV, 4. 31., *λίθοι λογάδες* Paus. VII, 22, 3. sunt lapides collectitii, *ὡς ἕκαστοί ποτε προςφέρουσι* Thucyd. ait, I, 93., non aptati illi artificiose ad opus exstruendum, ut recte explicuit Schaefer. ad Dion. C. V. p. 295., Muell. Archaeol. p. 316., quibus injuria obloquitur Goeller. Thuc. VI, 66. Tamen poetae Rhegini verba

nihil videntur significare nisi vallum constructum artificio (παλάμαις) hominum ex lapidibus selectis et arte factis. — 2. πέδ' ἀναριτᾶν. Uno hoc vocabulo discrepamus a Boeckhio, secuti disertum testimonium Athenaei, ἀναρίτης dixisse Ibycum. Ceterum vitiosum illud παῖδα fere ubique occupavit locum praepositionis πέδα, quae est Dorum, cfr. Bast. Greg. Cor. p. 638.[47]) De cochleis istis

47) Veluti apud Alcaeum frgm. XXVI. Matth. omnes libros invasit quem exagitamus errorem. Is versus ita scribendus est:

Κρονίδα βασίληος γένος Αἴαν τὸν ἄριστον πεδ' Ἀχιλλέα.

Omnes editores βασιλῆος, quod προπαροξυτόνως signavi monitu Choerobosc. Bekk. p. 1194. οἱ παλαιοὶ Αἰολεῖς προπαροξύνουσιν, Ἀχίλληος καὶ βασίληος. Tum omnes Αἶαν tenuerunt, qui accusativus debebat esse, ut et conformatio orationis ipsa indicat et testatur idem Choerobosc. p. 1183. λέγουσιν οἱ ποιηταὶ πολλάκις ὁ Αἴας, τοῦ Αἴα καὶ ὁ Δρύας τοῦ Δρύα καὶ ὁ Θόας τοῦ Θόα, ὡς παρ' Ἡσιόδῳ Ἡ δὲ Θόαν τέκεν υἱόν. καὶ παρ' Ἀλκαίῳ· Αἴαν τὸν ἄριστον. Proverbialem fere dictionem *Optimus Ajax post Achillem* Matth. illustravit uno Scol. ap. Ath. XV, p. 695, C. Tu adde Homer. Il. II, 673. al., Pind. Nem. VII, 27., Hor. II Sermm. 3, 193., Quintil. X, 1, 65., Eustath. Il. p. 511, 18. Rom. Sed quum semel attigerimus Alcaeum, adjicimus paucula et ad emendandum opusculum Matthiaeum et ad locupletandum, quae quum maxime occurrunt, levidensia illa quidem ut post Neuii, Seidleri aliorum curas. Frgm. CXIX. ex uno Tryphone repetitum emendari poterit ex πάθεσι τῶν λέξεων cod. Paris. 2594. ap. Bekk. An. p. 1168. προστίθεται δὲ καὶ τὸ F παρ' Αἰολεῦσι καὶ Ἴωσι καὶ Δω-

dixit Casaub. in Ath. l. c., Dorvill. Sic. I, p. 13. Scatent illa maria piscibus multis magnisque, unde *ὠμοφάγους* poeta dixit, v. Dorv. l. c. p. 15 sq. De re ipsa haec accipite. Quum primi coloni Ortygiam insulam habitarent, cum insula Sicilia colligarunt vallo lapideo exstructo, de quo narravit Ibycus. Quo vel motibus terrae dissipato vel impetu

---

ριεῦσι καὶ Λάκωσι καὶ Βοιωτοῖς, οἷον ἄναξ γουάναξ, ἕλενα γουέλενα. ἅπαξ δὲ παρ' Ἀλκαίῳ τὸ ῥῆξεις γουρηξεις (scr. *γουρήξεις*) *εὕρηται.* Apud Tryph. est *Fρῆξις*, ap. Lascar. Gr. III, p. 230. *Fρήξεις*. Grammat. Paris. digammi sonum quendam fortiorem expressum voluit, ut nostrum gw. Praeterea tria nova frustula Alcaei exhibet, opinor, Choerobosc. Bekk. p. 1340. Nam in reliquiis poetarum Aeolensium certo auctori non ascriptis haec lex observanda est, ut utrum Sapphonis an Alcaei sint indoles atque affectio argumento sint. Choerobosc. ita: *τὰ εἰς ευς ἀποβάλλουσι τὸ ῡ κατὰ τὴν γενικὴν χωρὶς τοῦ Ἄρευς, Ἄρευος· τοῦτο γὰρ ἐφύλαξε τὸ ῡ παρὰ τοῖς Αἰολεῦσιν, οἷον· Ἄρευος στρατιωτέροις* (*Marte bellicosiores*) *καὶ πάλιν· τὸ γὰρ Ἄρευϊ καταθανεῖν καλόν·* (scr. *τὸ γὰρ Ἄρευϊ κατθανεῖν καλόν*) (*nam interimi pulchrum Marti*) *καὶ πάλιν· μίξαντες ἀλλήλοισιν Ἄρευα* (*miscentes inter se Martem*), ubi vide an scribendum sit *Ἄρευν*, — —́ ⏑ — — —́ ⏑ — —. Cfr. eundem Choerob. p. 1237., Boeckh. oecon. civit. Ath. II, p. 397. Sed ne cui temere Alcaeo haec tribuisse putemur, Alcaeum forma *Ἄρευς* usum testatur disertis verbis Herodian. ap. Eustath. Il. p. 513, 35, cll. p. 187, 3. *Ἄρευς εὐθεῖα παρ' Ὁμήρῳ μὲν οὐκ ἔστι, παρὰ δὲ Ἀλκαίῳ εὑρέθη.* Sapphoni eandem formam reddidit Neuius, cfr. supra not. 44.

perfracto aquarum ponte juncta insula cum Syracusis fuit, Cic. II Verr. 4, 57. eaque *Νᾶσος* solita appellari. Hodieque destructo vallo ponte nexae insulae feruntur, v. Goeller. de sit. Syr. p. 39 sqq., Cluver. Sic. ant. p. 155., Cephalidae iter II, p. 35 sqq.

Fragmm. XXXV. XXXVI

Strab. VI, p. 271, Cas.

Postquam sibi convellisse videtur fabulam Alphei et Arethusae locutus de Inachi natura ex mente Sophoclis in fab. satyr. Inacho pergit: *ἐπιτείνουσι δὲ τὴν τοιαύτην τερατολογίαν οἱ τὸν Ἰνωπὸν εἰς Δῆλον ἐκ τοῦ Νείλου περαιοῦντες. Ἀλφειὸν δὲ Ζωΐλος ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ Τενεδίων ἐγκωμίῳ φησὶν ἐκ Τενέδου ῥεῖν, ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον.* 48) *Ἴβυκος δὲ τὸν ἐν Σικυῶνι Ἀσωπὸν ἐκ Φρυγίας ῥεῖν φησί.*

Quam *τερατολογίαν* nullo pacto per jocum atque ludibrium procudisse censendus est poeta Rheginus, ut judicavit Strabo. Rei eadem consimilisve debet subesse caussa, qualem fabulae illi de Alpheo et Arethusae ansam vidimus dedisse. Eademque persuasio occuparat mentes Phliasiorum, quorum in finibus oritur fluviolus, atque Sicyonio-

48) Ir..erito verba *ὁ — μυθογρ.* F. A. Wolf. Prolegg. Hom. p. CXCII. in marginem releganda arbitratus est, quae accommodatissima sunt consilio Geographi.

rum, non ἐγχώριον Asopum esse, sed advenam, teste Paus. II, 5, 2. Maeandrum enim ex Celaenis profluentem per Phrygiam et Cariam non procul Mileto infundi in mare; hinc in Peloponnesum transire ibique emergere Asopum. Idem Paus. II, 7. 8. haec narrat. Fama fert Sicyoniorum esse Marsyae tibias consecratas in templo Apollinis, quod est apud eos. Sileno enim misere habito flumine tibias in Maeandrum delatas: in Asopo rursus comparuisse et in terra ipsorum ejectas a pastore repertas et Apollini datas esse. Quibus rebus omnibus apparet Ibycum religiose secutum esse fabulam domesticam Sicyoniorum. Eandem fabulam qui nuper attigit Rob. Gompf. Sicyoniacor. specim. I, p. 33., rationem non est assecutus. Id ut possimus facit haec memoria Ibyci conveniens illa haud dubie fidei populari et ipsa, praetermissa Gompfio apud

Pausan. II, 6, 3.

Σικυῶνα δὲ οὐ Μαραθῶνος τοῦ Ἐπωπέως, Μητίωνος δὲ εἶναι τοῦ Ἐρεχθέως φασίν. ὁμολογεῖ δέ σφισι καὶ Ἄσιος, ἐπεὶ Ἡσίοδός τε καὶ Ἴβυκος ὁ μὲν ἐποίησεν, ὡς Ἐρεχθέως εἴη Σικυών· Ἴβυκος δὲ Πέλοπός φησιν αὐτόν.

Res igitur haec. Sicyon filius Pelopis ex Phrygia oriundi urbis Sicyoniae ἥρως ἐπώνυμος exstitit. Si qui autem coloni in remotas deducebantur terras, adeo illi domesticarum regionum tenaces solebant esse, ut eas fere in novis sedibus non

paterentur non reperiri. Ita rivum suum cum domestico patrum suorum Maeandro vel cohaerere vel eundem esse fluvium animis imbiberant. — Ceterum Marathone natum Sicyonem voluerat Eumelus ap. Paus. II, 1, 1. Nam terra Sicyonia quum olim *Αἰγιάλη* vocaretur, incolae ipsi Aegialea *αὐτόχθονα* fuisse sibi persuasere, Paus. Cor. V, 5., Goettling. Hes. Theog. 535. Illi igitur poetae supra excitati id tempus respexerunt, quo prisca *Μηκώνη* Ionibus paruerat, hinc Achaeis cessit Argivis, unde Sicyonis ei inditum nomen est; posthac inde a Phalce venit in dicionem Dorum, v. Mueller. Dorr. I, p. 79.

Quae si ordine disputata sunt, Ibycum et patrem Sicyonis Pelopem habuisse Phrygium est consentaneum. In quam rem luculenter Strab. XII, 8. *τὴν περὶ τὴν Σίπυλον Φρυγίαν οἱ παλαιοὶ καλοῦσιν, ἄδηλον εἴτε τῆς μεγάλης εἴτε τῆς μικρᾶς μέρος οὖσαν. ἧ καὶ τὸν Τάνταλον Φρύγα καὶ τὸν Πέλοπα καὶ τὴν Νιόβην.* Phrygium eundem vocat Sophoc. Aj. 1292. notatus Tzetzae Chill. V, 444. Magna in terrae nomine discrepantia scriptorum: cfr. Scholl. Pind. Ol. I, 37. in Apoll. Rh. II, 359.

IV. *Carmen in Samum insulam.*

Fragm. XXXVII.

Etym. M. p. 542, 51. Sylb.

Κυάρης. Ἴβυκος· Οὐδὲ Κυάρης ὁ Μηδῶν στρατηγός: — τινὲς λέγουσιν, ἀπὸ τοῦ Κυαξάρης γέγονε κατὰ συγκοπήν· ἄλλοι δὲ ἀπὸ τοῦ κυρὰ κατὰ πλεονασμόν.

Sylburgius pro *κυρὰ* legendum suspicatur *κῦρος*, eo ut nomine Sol a Persis significaretur, testibus et aliis et Hesychio. Mihi vero cur prior Grammatici explicatio satisfaciat, explicui in Prolegg. p. 70. Ibidem monui de dimensione versiculi p. 77.

Ne Cyares quidem, Medorum imperator, supple: hanc fortunatam insulam cepit. Videntur enim mihi haec verba decerpta ex carmine Samiis scripto, ut professus sum in titulo. Nam quum incolae Asiae minoris Lydorum primorumque Persarum regum armis non restitissent, sed fracti bello illis essent subditi, *τοῖσι νησιώτησι ἦν δεινὸν οὐδέν,* uti loquitur Herodot. I, 143., cfr. Panofka. rer. Sam. p. 29 sqq. Cyaxares autem non dubito quin intelligendus sit rex ille bellicosissimus Medorum qui floruit circ. Ol. XXXII, qui prostratis

Scythis adeo convaluit armis, ut totam fere Asiam minorem in potestatem suam redigeret, de quibus rebus lege Herod. I, 103 sqq. A quo duce Samios cum relicuis insulanis in terrorem conjectos fuisse rerum rationi maxime videtur esse consentaneum.

Ibycus igitur quum teste Suida apud Polycratem degerit, carminibus videtur Samiorum res illustrasse, uti tota Anacreontis poesis Polycratis laudibus referta traditur fuisse ab Athen. XIV, p. 438, B.

V. *Dipsas et Asinus.*

Fragm. XXXVIII.

Aelian. Hist. Animm. VI, 51.

Enarrat hanc de dipsade fabulam: Mythus auctor est Prometheum Vulcano furto subduxisse ignem: iratum Jovem furti indicibus dedisse *φάρμακον γήρως ἀμυντήριον.* Id illos imposuisse asino; quem ferventis aestu solis et pondere sarcinae fessum ut sitim restingueret accessisse ad fontem. At serpentem custodem fonti additum abegisse asinum, qui eo pacto admittitur ad aquas, ut quod portabat *φάρμακον* sibi cederet. Serpens autem, ita pergit Aelianus, *τὸ γῆρας ἀποδύεται προςεπιλαβὼν, ὡς λόγος, τὸ τοῦ ὄνου δίψος. Τι*

οὖν; ἐγὼ τοῦ μύθου ποιητής; ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποιμι. ἐπεὶ καὶ πρὸ ἐμοῦ Σοφοκλῆς ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς καὶ Δεινόλοχος ὁ ἀνταγωνιστὴς Ἐπιχάρμου καὶ Ἴβυκος ὁ Ῥηγῖνος καὶ Ἀριστέας καὶ Ἀπολλοφάνης ποιηταὶ κωμῳδίας ᾄδουσιν αὐτόν.

Buttmannus in commentat. *Schoepfung und Suendenfall* inscripta, Mythol. I. p. 146 sqq. componit hanc fabulam cum Mosaica illa de angui paradisi: redolere enim originem orientalem eamque concordare multas in partes cum biblica illa, quum utraque ad mythologicam generis humani historiam spectet. Eamque serio narratam a Graecis et creditam Sophoclem fidem facere, antiquissimum fabulae auctorem, qui in tragoedia non reformidaverit eam enarrare. Ita Buttmannus: a cujus mente ut nos nostram longissime sententiam dijungamus multa sunt in caussa. Nam neque Sophocles fabulam cothurno tragico dignatus est, neque vetustissimus auctor est, ad quem referatur. Induxit Buttmannum Aelianus, qui tragoediae scriptorem Sophoclem nominavit ex praecipua virtute poesis Sophocliae; teste Schol. Nicandr. Theriac. 343. memoria Sophoclis hausta est ex fabula satyrica, cujus titulus *Κωφοί*: aetate vero vel unus Ibycus Sophoclem praecessit. Est ea fabula orta ex natura serpentum, qui pelle quovis anno abjecta quasi repuerascunt. Cujus moris quum caussam scrutarentur, commenti sunt homines populares illam fabulam ludicram et ingeniis plebejis accommodatis-

simam. Unde factum est, ut ii poetae carminibus interscrerent, qui se ad vulgarium hominum captum demitterent. Et de Sophocle quidem satis dictum in antegressis est: Dinolochus Syracusanus vel Agrigentinus, teste Suida, circa Ol. LXXIII vigebat. Ex quatuordecim quas scripsisse perhibetur fabulis praeter titulos quinque nihil fere servatum exstat: *Amazones*, *Telephus*, de quibus v. Grysar. de com. Dorr. I, p. 82. 83. Quibus addimus quae fugerunt Grysarum, *Medeam* apud Antiatt. Bekk. I, p. 114, 5., *Althaeam* ap. eund. p. 28, 29., *Comodotragoediam* apud eund. p. 112, 29. Ex quibus inscriptionibus apparere censemus argumenta eum mythologica ad comoediae festivitatem traduxisse, quae indoles fuit Italiotarum atque Siculorum, v. Grysar. l. c., Bentl. Opuscc. p. 413.; fortasse hanc de dipsade fabulam in Medea exposuerat: quae homines senes ita fecit repuerascere, ut serpentes quovis anno destricta pelle juvenescunt. Ibycus autem utrum singulari carmine rem exornaverit, an alius ambitu incluserit, difficile dictu est. In eam tamen proclivior sum partem, ut fabulam a popularibus suis creditam eorumque ut videtur propriam peculiari carmine persecutum statuam. Aristeae autem nomen inter comoediae auctores frustra quaesiveris: quod nobis quidem corruptelam videtur traxisse. Nam quod Welcker. Allg. Schulztg. 1830. II. nr. 56. p. 449. *Aristiam* intelligit satyricarum scriptorem fabularum, Pra-

tinae filium, repugnat Aelianus, qui non poterat conjunctis Aristia et Apollophane addere: *ποιηταὶ κωμῳδίας*. Nobis peccatum videtur in terminatione vocis reponendusque *Ἀριστοφάνης*, ejus ut memoria repetita sit ex fabula, cui Senectutis nomen praefixerat. In *Γήρᾳ* enim repraesentabantur senes juvenili aetati redditi, *τὸ γῆρας ἀποβαλόντες*, ut Athenaeus ait III. p. 109. F. In quibus verbis et ipsis alludere ad fabulam serpentis videtur: nam *γῆρας* et senium et pellem significat serpentum, veluti Arist. Pac. 336. Cfr. Suevern. de Arist. fabula *Γήρᾳ* p. 5 sqq. Apollophanis, de quo solerter exposuit Meinek. quaestt. scen. II, p. 73., quinque laudantur fabulae: *Δάλις, Κρῆτες, Δανάη, Κένταυροι, Ἰφιγέρων.* Argumentum ejus quam ultimo loco reposui, simile fuisse conjicias fabulae Aristophaneae: quod innuere videtur vel nomen *Ἰφιγέρων.* Ut in ea fabula ad dipsadem et asinum allusum censeamus. Fuit igitur fabula dignissima jocatione comoedorum, indigna tragoedis. Superest ex carmine Ibycio, nisi ludit animus, frustulum apud

Fragm. XXXIX.

Porphyr. in Ptolem. Harmon. ap. Vallis. Opp. III, p. 255.

Ταχέως γὰρ ἄν τις τῶν ἀπείρων μὲν μουσικῆς καὶ τῶν τοιούτων θεωρημάτων, ἃ νῦν ψηλαφῶμεν ἡμεῖς, ἐν δὲ τοῖς σοφιστικοῖς λόγοις καλινδουμένων

Ἔριδος ποτὶ μάργον ἔχων στόμα (*φησίν που*
Ἴβυκος)
ἀντία δῆριν ἐνίοις κορύσσοι.

Ita Stephanus, qui ex cod. protraxit primus, Boissonad. et Ursinus, qui *κορύσσει* edidit ut non aptum ab oratione Porphyrii; Vallisii, qui *ποτὲ* pro *ποτὶ* habet, mira haec annotatio est: »Locus mendosus: M. E. *νενοοινορύσσοι;* D. (qui optimus Vallis. codd. est,) *δῆριν ἐνιοικορύσσοι.* Forte legendum *δῆριν ἐννοοκορύσσοι* (sic!), contentione mentem armaverit.« Cod. D. simillimum oportet fuisse librum Stephani; cod. Gud. meus (nr. 3. Gud. codd. grr., saec. XV.) *δῆρϊ νενόοι νορύσσοι.* Scriptura *ἐνίοις* quum neque sensui magnopere congruat et metro adversetur eademque in conjecturae alea posita sit, — nam σ illius finalis ne levissimum quidem comparet vestigium —, deserenda est. Nos et ductus literarum considerantes recordatique illam fabulam ab Ibyco profectum auguramur: *ἀντία δῆριν ΟΝΟΙ κορύσσοι*, h. e. *ὄνῳ*, ex antiqua ratione scribendi, de qua instar omnium lege Scholl. Eur. Phoen. 688. Dictum id existimetur in draconem istum custodem fontis, qui ad jurgium asino inferendum tollit caput. Porphyrius autem quod hos versiculos transtulit in musicarum rerum contemptores, id lepide fecit tanquam ex mente istorum, quibus asini viderentur ipsi. Reddenda igitur verba: *Contentionis saevum os attollens pugnam contra asinum parat.* Vallisius vulgatis hanc admoverat

interpretationem: »Contentionis vesanum os habens contentione mentem contra obfirmat.« Mensura autem haec est:

. . . . . ⏑⏑–́⏑⏑—⏑⏑—⏑⏑̄

–́⏑⏑—⏑⏑—⏑——

Στόμα ἔριδος est *os rixosum*, ut apud Pind. *ἄνθεμα χρυσοῦ*, ap. Soph. *εὐφρόνη ἄστρων*, v. Poppo Thuc. Prolegg. I, p. 162. *Μάργον στόμα* est *os cupidum pugnae*, non *vesanum*, ut Tydeus ille Aeschylius Sept. Theb. 362. *Τυδεὺς δὲ μαργῶν καὶ μάχης λελιμμένος*, cfr. Phrynich. Pleuron. ap. Tzetz. Lycophr. 433. — 2. *Δῆριν κορύσσειν*, ut Hom. Il. II, 273. *πόλεμον κορύσσειν*, Hes. Scut. 148. *κλόνον ἀνδρῶν*, 198. *μάχην*, Pind. Isthm. VII, 55. *μάχας ἔργον*, Inc. Rhes. 933. *φιλαιμάτους ἀλκάς*.

VI. *Incerta.*

Fragm. XL.

Etym. M. p. 763, 58. Sylb.

Τραπεζίτης διὰ τοῦ ι σημαίνει τὸν ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον τραπεζίτην, ἀπὸ τοῦ τράπεζα. διὰ δὲ τῆς ει διφθόγγου τὸν ἐν τῇ τραπέζῃ παριστάμενον, ὡς παρ' Ὁμήρῳ τραπεζῆες κύνες —: ἀπὸ τοῦ τραπεζεὺς ἐστι. τὸ δὲ παρ' Ἰβύκῳ διὰ τοῦ η λεγόμενον Τραπεζητᾶν κυνᾶν ἔστιν ὡς πλείων πλήων. Theognost. ap. Bekk. Anecdd. p. 1424. *τραπεζείτης παρ' Ἰβύκῳ εὔρηται κατὰ τροπὴν τῆς*

ει διφθόγγου εἰς η̃, ὥς φησιν Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ καθόλου. Domesticorum canium. Cfr. Eustath. Il. p. 1257, 23.; Etym. Gud. p. 534, 43.; Suid. s. v. *τράπεζα. Οἰκουροὺς* explicat Hesych. s. v. Nolui autem solicitare quod est ap. Sylburg. et rell. *κυνᾶν,* quo in *κυνῶν* mutato videamus ne poetam potius corrigamus quam librarios. Nam licet pleraque quae hic revocanda viderentur certissima emendatione sublata sint, ex nimio Dorismi studio profecta, v. Porson. Eur. Hec. 1053., Schaefer. p. 82., ubi erat *γυναικᾶν* ap. Ald., tamen collaudamus cautionem Buttmanni Gr. ampl. I, p. 176, Addend. p. 400, qui ap. Theocr. V, 148., VIII, 49. omnium fere codd. *αἰγᾶν* non temere spernendum censeat. Omnia respuit Matth. Gr. Gr. I, p. 166., respuerat Bentlej. Phal. p. XXIX. Nos ita judicamus. Quem recte Buttm. errorem vocat, ex sermone quotidiano hominum *πλατυστομούντων* et ex usu domestico poetas Dores Siculos infecit, Ibycum, Theocritum, unde vel in choros Euripidios manasse videtur. Quae sententia maxime confirmatur eo, quod quae vocabula *ᾶν* ascivisse videmus vulgaria sunt et pastorum potissimum propria, *τᾶν αἰγᾶν, κυνᾶν.* Ut Aldi scriptura in choro Helenae Eur. 378. *θηρᾶν* festinantius a Brodaeo cum vulgari *θηρῶν* commutata videatur. Pro Ibyco autem quum et *η̃* illud in *τραπεζητᾶν* nimis Doricum sit, facile moveor, ut haec verba ex carmine populari et quod plebejum sermonem imitaretur excerpta putem.

Fragm. XLI.

Scholl. Arist. Avv. 192.

Χάους ἀντὶ τοῦ ἀέρος νῦν, ὡς Ἴβυκος· ποτᾶται δὲ ἐν ἀλλοτρίῳ χάει. Hinc Suid. s. v. perturbate: *Χάους ἀρχαιότερος καὶ Κρονιῶν. ἐπὶ τῶν πάνυ παλαιῶν. καὶ Ἴβυκος· ποτᾶται δ' ἐν ἀλλοτρίῳ χάει.*

Ursin. *δὲ ἐν* et *φάει;* pro *Κρονιῶν* Kuster. *Κρονίων*, Urs. *Χρονίων.* Comparandus Bacchylid. ap. Schol. Hes. Theog. 116. *Βακχυλίδης δὲ χάος τὸν ἀέρα ὠνόμασε λέγων περὶ τοῦ ἀετοῦ· Νωμᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει.* Quem locum qui primus prodidit Ruhnk. Ep. crit. I, p. 175. III. a Bacchylide vix censet discrepare Ibycum, nisi forte idem locus sit sub alio auctore; quod arbitrium non injustum ratus Neuius inter dubiae fidei frgmm. Bacchyl. rejecit, nr. LIX. Idemque sensit Dindorfius. Procul dubio quod est ap. Scholl. Arist. et Suid. *ἀλλοτρίῳ*, neque interpretationem recipit et manifestum satis est fluxisse ex loco Aristoph. *διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους.* In eo tamen disconvenit Ibycum inter et Bacchyl., quod illi *ποτᾶται* assignant, exquisitius huic *νωμᾶται.* Quum autem origo confusionis non sit manifesta, suum utrique censeo servemus. Scribenda Ibyci verba:

. . . . . *Ποτᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει.*

. . . . . ⏑ — ×— — ´— ⏑ ⏑ — ⏑ —

Volat autem in aere fruges non ferente.

Χάος hac significatione frequentat Aristoph., velut Nubb. 423. aliique, ut memorabili loco Eurip. Cadmo ap. Prob. Virg. Bucol. VI, 31. ita scribendo: *τόδ' ἐν μέσῳ δὲ τοὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς Οἱ μὲν ὀνομάζουσιν χάος.* Nam quum a *χαίνω* descendat, omne significat id quod est vacuum lateque patet, v. Varr. L. L. IV, 3.

Fragm. XLII.

Suid. l. c. pergit:

Καὶ αὖθις· ὁ δὲ φλυαρεῖ. καὶ μάτην ἡμῶν λῆρον καταχεῖ. τοῦ χάους ἀρχαιότερον καὶ Κρονιῶν ἀπόζοντα.

Scribe: . . . . *ὁ δὲ φλυαρεῖ*
καὶ μάτην ἡμῶν λῆρον καταχεῖ,
τοῦ Χάους ἀρχαιότερον
καὶ Κρονιῶν ἀπόζοντα . . . .

. . . . ∪ —́ ∪ ∪ —
—́ ∪ — — ×— — —́ ∪ ∪ — .
—́ ∪ — — —́ ∪ ∪ —
—́ ∪ ∪ — ∪ — —́ ∪ . . . .

Is autem nugatur et temere deliramenta nobis defundit Chao vetustiora et Saturnia tempora redolentia.

Ex carmine haec videntur exempta populari et quod festivitatem vulgi consectaretur. Abundant Graeci ejusmodi verbis quibus obsoleta notent insigniter, v. Suid. *Κρονιῶν ὄζει*, Poll. II, 3., *ἔλεγον τοὺς ἀρχαίους καὶ Κρόνους καὶ Κόδρους,* Phry-

nich. Bekk. An. p. 22, 32., Japetos et Tithonos, id. p. 43, 29. In similitudinem structurae *ἡμῶν λῆρον καταχεῖ* cfr. Hom. Il. XXIII, 408. *μὴ σφῶϊν ἐλεγχείην καταχεύῃ Αἴθη;* Lysipp. comic. ap. Athen. ex emend. Naekii Mus. Rhen. 1832, I. p. 57. *τοιοῦτο τῶν ξένων τι καταχεῖται σκότος;* Lacaena Plut. Lac. apophth. p. 260. *κακὰ τεῦ φάμα κακκέχυται.*

Fragm. XLIII.

Galen. comm. I in Hippocr. Epid. VI, p. 454, 56. ed. Basil., XVII, p. 879. Lips.

Uberrime agit de significatu vocis *πέμφιξ. ἐπὶ δὲ τοῦ νέφους δοκεῖ τετάχθαι κατὰ τόδε τὸ ἔπος ἐν Σαλμωνεῖ Σατύροις παρὰ Σοφοκλεῖ·*

πέμφιγι πλήσας ὄψιν ἀγγέλῳ πυρός.

καὶ παρ'

Ἰβύκῳ· πυκινὰς πέμφιγας πιόμενοι.

λέλεκται δ' οὗτος ὁ λόγος αὐτῷ κατά τινα παραβολὴν ἐπὶ χειμαζομένῳ εἰρημένην. διὸ καὶ τῶν προγνωστικῶν οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς ὄμβρους σταγόνων εἰρῆσθαί φασι τὰς πέμφιγας.

⏑ ⏑ –́ – – – –́ ⏑ ⏑ –

Crebros imbres haurientes, h. e. imbrium vi et impetu plane inundati. *Πίομαι* praesens videtur, ut Pind. Ol. VI, 86., v. Buttm. Gr. ampl. II, p. 216. De locis Aeschyliis atque Sophocliis dixit Hermann. de Aesch. Prom. sol. p. 24 sqq., Opuscc. IV, p. 276 sqq. Quem Galenus attulit Euphorionis

locum, qui est frgm. LXXVI. Mein., ita scripserim vestigiis tenaciter inhaerens:

Εἶτ' ἄνθη πέμφιγες ἐπικλύζουσι θαλόντα,

tum imbres inundant flores vigentes. *Θαλόντα* tueare Homerico *ἔθαλε*, vulgo *θανόντα*. Aliorum pericula v. ap. Hermannum et Meinekium.

Fragmm. XLIV. XLV.

Herodian. *περὶ μονήρ. λέξ.* p. 32, 25. Dind.

Τέκμωρ. οὐδὲν εἰς ωρ λῆγον οὐδέτερον ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ἔχει συμπλοκὴν δύο συμφώνων πρὸ τοῦ ω̄.

Πριαμίδη, μὴ δή με ἕλωρ Δαναοῖσιν ἐάσῃς.

νίκωρ παρ' ἀσώτῳ μιμογράφῳ. ὕδωρ, ἔλδωρ. οὐ γὰρ συμπλοκὴ ἐνθάδε, ἀλλὰ διάστασις· ὁ δὲ Ἴβυκος ἔσθ' ὅτε καὶ θηλυκῶς προφέρεται·

Οὔτι κατὰ σφετέραν ἐέλδωρ.

καὶ

Ἐσθλὸν προδεδεγμένον ἐέλδωρ.

In his ex fide cod. Hafniens. editis nihil emendatum adhuc est nisi verissime a Dindorfio *παρὰ Σώφρονι τῷ μιμογράφῳ*, et *ἐσθλὴν* in altero Ibyci frgm. a Blochio, quod oportebat *ἐσθλάν*. Decreto autem Herodiani neminem fore puto quin cohibeat paullisper assensum. Incredibile enim accidit magnopere, quemquam *ἐέλδωρ* feminino genere efferre ejusque quartum casum ita conformare potuisse, nihil ut a recto casu dissonaret. Ne plura: reliquit Ibycus scriptum *ἐελδὼ*, ductum illud ex alia

nominativum fingendi ratione, quocum ex asse congruit quartus casus. Laete provenere similia, velut ἡ Μελλὼ ap. Aeschylum, ἡ δοκὼ, ἡ γληχὼ, ἡ ἀηδὼ multaque nominum propriorum quae sunt ex specie τῶν ὑποκοριστικῶν, ut Εἰδὼ, Ὑψὼ, Ἀφρὼ, cfr. Buttm. Gr. ampl. I, 1, p. 214. Huc pertinet praecipue quod τὸ αἰδὼς ὁ Φιλητᾶς χωρὶς τοῦ σ προηνέγκατο εἰπών· Ἀγαθὴ δ' ἐπὶ ἤθεσιν αἰδώ, Choerobosc. bibl. Coisl. p. 176. Primum igitur frgm., cujus haec exsistit mensura:

—́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — — verte:

Nequaquam ex eorum voluntate.

In altero inveteratam labem abstersimus reposito ποτιδέγμενον, ut ap. Hom. haud infrequenter, v. Buttm. Gr. ampl. II, 1, p. 206, 7. Nec tunc quidem in integrum restituta verba sunt: aut enim ἐλδὼ scribendum, quod non est veri simile, aut quo versiculi tenor revocetur ποτιδεγμένων, ut frgm. emendate lecti:

. . . . . Ἐσθλὰν ποτιδεγμένων ἐελδώ,

. . . . . — —́ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —

haec nascatur interpretatio: *Faustum exspectantium votum.*

Fragm. XLVII.

Hesych. II, p. 1165. Alberti.

Σείριος. ὁ ἥλιος. καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. Σειρίου κυνὸς δίκην. Σοφοκλῆς τὸν ἀστρῷον κύνα. ὁ δὲ Ἀρχίλοχος τὸν Ἥλιον (frgm. XLII. Liebel.).

Ἴβυκος δὲ πάντα τὰ ἄστρα. Suid. s. v. *Ἴβυκος δὲ πάντα τὰ ἄστρα σείρια λέγει.* Eodemque tendit Gramm. Et. M. p. 710, 28. *ἔνιοι πάντα τὰ ἄστρα σείρια καλοῦσιν, τείρεα ὄντα καὶ σημεῖα τῶν πλεόντων,* respiciens ille et ad v. *τείρειν* et ad *τέρας,* cll. Scholl. Ap. Rh. II, 519, Phot., Phavorin. s. v. *Σείρια ἄστρα* Ibycus dixit *torrida:* perperam originem vocis scrutati Grammatici, quae cohaeret cum *θέρος, θερινὸς,* ut *τίριος* pro *θέρους* Cretensibus placuisse prodit Hesych. s. v., cfr. Schwenk. etym.-myth. Andeutt. p. 348.

Fragm. XLVIII.

Etym. M. p. 703, 28.

Ῥῆγος. τὸ πορφυροῦν περιβόλαιον. ῥέξαι γὰρ τὸ βάψαι καὶ οἷον μεταποιῆσαι. ὅτι δὲ ῥεγεῖς ἔλεγον τοὺς βαφεῖς καὶ ῥέγος τὸ βάμμα, σαφὲς Ἀνακρέων ποιεῖ —: ἁλιπόρφυρον ῥέγος — καὶ παρ' Ἰβύκῳ· Ποικίλα ῥέγματα. Varia indumenta.

Ἁλιπόρφ. ῥῆγος Anacreonti tribuunt Et. Gud. p. 492, 52. et qui ex cod. protulit Ursin. p. 140. contra mentem Gramm. Eadem Anacreontia servavit oppresso nomine Zonar. II, p. 1608., ubi cfr. Intpp., Larcher. in Orion. Theb. p. 139., Salmas. ad scrr. hist. Aug. II, p. 484. Ad Ibycia *ῥέγματα* spectat glossa Hesych. II, p. 1106. *ῥέγματα, τὰ βάμματα.* Adde Schol. Ven. Il. *ι,* 657. Prolegg. p. 63. Aberrat Passov. Lex. s. v.

Fragm. XLIX.

Plutarch. comp. Lycurg. et Num. 3.

Ἔτι δὲ μᾶλλον ἡ περὶ τὰς παρθένους φυλακὴ κατέσταλται τῷ Νουμᾷ πρὸς τὸ θῆλυ καὶ κόσμιον. ἡ δὲ τοῦ Λυκούργου παντάπασιν ἀναπεπταμένη καὶ ἄθηλυς οὖσα τοῖς ποιηταῖς λόγον παρέσχηκε. Φαινομηρίδάς τε γὰρ αὐτὰς ἀποκαλοῦσιν, ὡς Ἴβυκος, καὶ ἀνδρομανεῖς ἱστοροῦσιν, ὡς Εὐριπίδης, (Androm. 599.) λέγων·

αἳ σὺν νέοισιν ἐξερημοῦσιν δόμους
γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις.

Huc revoca Poll. VII, 55. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ ὁ τῶν παρθένων οὕτω (sc. πόρπη) χιτωνίσκος, οὗ παραλύσαντες ἄχρι τινος τὰς πτέρυγας ἐκ τῆς κάτω πέζης παρέφαινον τοὺς μηρούς, μάλιστα αἱ Σπαρτιάτιδες, ἃς διὰ τοῦτο φανομηρίδας ὠνόμαζον. Idem II, 187. ἡ Λάκαινα φανόμηρις. Ita enim utroque loco codd. Pollucis: Henr. tamen Stephanum φαινομ. exempli sui margini ascripsisse referunt Intpp. itaque in Thes. ed. Londin. p. 1137. B. sensit, in quo nemo non astipulabitur. At sua Polluci relinquenda scriptura est. Idem non recte fluctuat φαινομήριδες an φαινομηρίδες pro vero arbitretur. Recentiores fere omnes φαινομ. praefe-runt, velut Stackelberg. de templ. Apoll. Epicur. Bass. p. 145., qui locus est de virginibus Lacaenis oppositis adversa fronte Ionicis ἑλκεσιπέπλοις. Ad firmandam scripturam utare voce φαινολίς, v. Voss. in hymn. Cer. 51., φαινόπις Maneth. IV,

176. 239. Aliter res se habet in nomm. propriis, in quibus originatio fere delituerit, ut *Φανόμαχος* ap. Thuc. II, 70., sed *Φαιναρέτη* Arist. Ach. 49. alia. Multi autem sunt vett. scrr. in crepanda virginum Doriensium lascivia conspicua illa et in vestimentorum licentia et in moribus in liberiorem cultum compositis, v. Welcker. Alcm. reliq. p. 10. Eur. Hec. 933. *λέχη δὲ φίλια μονόπεπλος λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κόρα;* Anacreon in Scholl. *ἐκδῦσα χιτῶνα δωριάζει. Φαινομηρίδας* dixere, quia pellucebant utrimque *μηροί,* dimisso ab utraque parte peplo, ne in exercitationibus gymnicis vestium ambitu impedirentur, v. Plut. l. c. *τῷ γὰρ ὄντι τοῦ παρθενικοῦ χιτῶνος αἱ πτέρυγες οὐκ ἦσαν συνερραμμέναι κάτωθεν, ἀλλ' ἀνεπτύσσοντο καὶ συνανεγύμνουν ὅλον ἐν τῷ βαδίζειν τὸν μηρόν. Καὶ σαφέστατα τὸ γενόμενον εἴρηκε Σοφοκλῆς ἐν τούτοις·*

Καὶ τὰν νέορτον, ἇς ἔτ' ἄστολος χιτὼν,
ἀραιὸν ἀμφὶ μηρὸν πτύσσεται, Ἑρμίοναν.

Cfr. Mueller. Dorr. II, p. 264., Wachsmuth. Antiqq. Grr. II, 2. p. 33.

Fragm. L.

Hesych. I, p. 774. Alberti.

Βρυαλίκται. πολεμικοὶ ὤρχηται μεν αἰδοίπου Ἴβυκος καὶ Στησίχορος.

Ita cod. Ven. ap. Schow. p. 183. Musurus edidit: *ὀρχησταί μεν* + *αἰδοίπου Ἴβ.* sqq. Intel-

lectus verborum ab aliis aliter tentatorum, quae afferre omnia taedet, satis expeditus nobis videtur. Ibycus atque Stesichorus *βρυαλίκτας* speciem quandam saltatorum memorarant, quo alii nomine *πολεμικοὺς* appellassent. Habetque novicia illa memoria praesidium in eo, quod apud Doricos populos, quorum indoles et in vitae et in animi aequabilitate quadam continebatur, arta affinitate ligata erat et saltatoria ars et peritia bellandi. Motus enim corporis eo fere fine regebantur, ut membra in bellum habilia et ad speciem decora efficerentur, v. prae omnibus Mueller. Dorr. II, p. 342. In Hesychianis quum Valesius olim correxisset *μελῳδοί που*, Klein. Stesich. p. 132. periclitatus est: *ὀρχ. μὲν βρυαλίκται, ᾄδει που Ἴβυκ. καὶ Στησ.*, contra morem Hesychii. Confert autem Hesych. v. *ὀρχηστής. ποτὲ μὲν ὁ χορικὸς, ποτὲ δὲ ὁ ἐν πολέμῳ εὐκίνητος*, quo nihil proficitur. Scripturam *βρυαλλίκται* ponderatis momentis omnibus sancivit Mueller. l. c., aliter Lobeck. Aglaoph. II, p. 1088., qui p. 1086. in Hesychii loco tacite edidit *ὀρχησταὶ μετ' αἰδοίου*, recte ad sensum sed non ut verba eruisse ipsa videatur. Nobis componentibus Hesych. v. *βρυλλιχισταί· οἱ αἰσχρὰ προςωπεῖα περιτιθέμενοι γυναικεῖα καὶ ὕμνους ᾄδοντες*, latere videbatur *ὀρχησταὶ μελῳδοῦντες* vel *ὕμνους ᾄδοντες*. Si nihil est, lusisse putemur. Videntur autem in honorem Dianae hae saltationes comparatae fuisse.

Fragm. LI.

Plat. Phaedr. p. 242, C.

Ἐδυςωπούμην, κατ' Ἴβυκον, μή τι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω. Quo respexerunt Xenoph. Memm. I, 3, 4. *καὶ τῶν ἄλλων δὲ μωρίαν κατηγόρει, οἵτινες παρὰ τὰ ὑπὸ τῶν θεῶν σημαινόμενα ποιοῦσί τι, φυλαττόμενοι τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἀδοξίαν*, quod observavit Ruhnken. Opuscc. I, p. 389. Friedem. Plutarch. quaestt. Symp. IX, 15. p. 748. C. *διὸ καὶ πέπονθεν, ὃ φοβηθεὶς Ἴβυκος ἐποίησε, δέδοικα μή τι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* Synes. epp. 105. *οὐ γὰρ νεώτερόν ἐστι τὸ δέος, ἀλλὰ καὶ λίαν ἀρχαῖον, τὸ μή τι περὶ θεὸν ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἐφεύρω.* Marin. vit. Procl. 1. *δεδιὼς κατ' Ἴβυκον μήτοι οὐ παρὰ θεοῖς, ὥς που ἐκεῖνος ἔφη, παρὰ δὲ ἀνδρὶ σοφῷ ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* Suid. s. v. *μή τοι. μηδαμῶς. οὔπω δὲ ἐπείθετο τῷ προστάγματι ὁ Ἰσίδωρος, ἀλλὰ τὸ τοῦ Ἰβύκου ἔπος αὐτὸν ἐπήει, μή τοι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψῃ,* quem locum Kuster. II, p. 555. ex Isidori philosophi vita a Damascio conscripta depromptum arbitratur. Idem Suid. s. v. *ἀμπλακών. ἁμαρτήσας. ἀλλὰ τὸ Ἰβύκου ἔπος αὐτὸν ἐπήει· μήτι παρὰ θεοῖς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.* Denique idem Suid. s. v. *Ἰβύκειον ῥησείδιον. ἀλλὰ τὸ Ἰβύκου ἔπος αὐτὸν ἐπήει· μήτι*

περὶ θεοὺς ἀμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψαι.

Apud Platonem, unde relicuos omnes consentaneum est hortulos suos irrigasse, cod. Monac. 407. *κατίβοκον* tenet idemque *μήτοι*: in *παρὰ θεοῖς* conveniunt universi; pro *ἀμπλακὼν* cod. Clarkianus cum *Δ Π* G T ap. Bekk. et Astium *ἀμβλακών*; pro *τιμὰν* non immemorabili varietate cod. Clark. et Mon. 407. *τιμᾶν*; denique cod. Vindob. 4. *πρὸς ἄνους.* Apud Synesium, nam Plutarchi exemplaria in scriptura loci conspirare videntur ea quam repraesentavimus, quum duos codd. pro *περὶ θεὸν* offerre *παρὰ θεὸν* didicisset Boissonad. in Marin. vit. Procl. p. 65., *παρὰ θεῷ* se praeferre significavit, quod tanquam suum posuit Ast. ad Plat. Phaedr. I, p. 352. In cod. Gudiano 104, qui membranaceus est saec. XIII scriptus, repperi: *δέδοικα*
μήτι περὶ θεὸν ἀμπλ. rell., sed ut *περὶ* ope manus secundae erasae pristinae scripturae successerit, quam *παρὰ* fuisse credibile est. In ejus margine cod. Schol.: *Ἰβύκού τινος παλαιοῦ. ἔστιν πρὸς ἱερωσύνην συνᾷδον τὸ Ἰβύκειον τουτὶ ῥησείδιον*, quae fere congruunt cum Suid. v. *Ἰβ. ῥησείδιον.* Quae verba joculari lapsu ita et alii interpretati sunt et Kusterus: *Hoc autem Ibyci dictum sacerdotio apte convenit!* Debebant: poeta haec fatus est religioso animo congruenter, concinit hoc dictum cum pietate in deos. Alius schol.

ap. Boiss. l. c. *Ἴβυκος ὁ λυρικὸς ποιητὴς τοῦτό φησιν.* Apud Marinum quum codd. C. L. G. *δεδειὼς* ministrent, *δεδεικὼς* C., scriptum oportet *δεδοικώς; μήτοι* unius Fabricianae scripturam exterminant libri. Suidae exemplari Mediolanensi nihil fere intercedit cum Kusteriano discrepantiae, nisi quod illud *ἀμπλακῶν* bis praebet.

Nunc quid Ibycus reliquerit eruamus. *Μήτοι* illud non commendatum praecipuis quibusdam auctoritatibus nullo pacto tolerabile esse persuadere molitur Hoogeveen. de particc. I, p. 770., uno omisso eoque gravissimo argumento, quod metrum pessumdat. Frequenter commixtum *τοι, τι, τε,* v. Elmsl. Soph. O. C. 450. Velut Aesch. Ag. 460.

εἰ δ' ἐτητύμως
τίς οἶδεν, ἤτοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος;
ει

quum Florent. cod. *ἤτοι* exhibeat, *ἤτοι* neque sensui neque metro admodum congruens ita expellimus, ut *εἴτε* in vacuam possessionem restituamus. Quod autem a scriptoribus vel *ἐδυςωπούμην* vel *δέδοικε* vel similia praefiguntur dicto Ibycio, in eum errorem post Plutarchum et Ursinus olim et Pauw. in Phryn. p. 190. Lob. et nuper Boisson. praecipites ruerunt, idem ut verbis poetae Rhegini praeponendum arbitrarentur: cujus pravitati judicii, cujus se immunem vel Suidas praestitit, litem intendit Ruhnken. in Timaeum p. 90; quo jure, vel scriptura Synesii Gudiani documento esto.

Tum παρὰ θεοῖς et ab Ursino positum patet gravissimis quibusque munitum esse testimoniis librorum, cujus explicatio lectionis est περὶ θεοὺς, quod a Kustero probatum metrum non patitur; singulariter elatum id esse Synesio episcopo nemini mirum acciderit. Illud igitur adoptemus a Mehlhornio recte in πὰρ formam mutilatum: cujus scripturae haec mens est, ut *peccare apud deos, in diis* significet, non *contra deos*, quod foret παρὰ θεοὺς, uti Xenophontem legisse vix efficias evidenter. Non incommode comparetur Ter. Andr. I, 4, 6. *di date illi in aliis potius peccandi locum;* cll. quae circumspecte disserit Kritz. in Sall. Catil. IX, 2. Bernhardii verba pro more obscuriora Synt. Gr. p. 256. 57. — Optimorum Plat. codd. ἀμβλακὼν nemo vel commemoratu dignum habuit, credo quod aperte mendosum videretur. Est haec mollior forma duplici Hesychii memoria ab oblivione asserta, ἀμβλακεῖν. ἁμαρτεῖν, et ἤμβλακεν. ἠγνόησεν. Archiloch. frgm. XLI. Liebel.

ἤμβλακον καί που τιν' ἄλλον ἦδ' Ἄτη 49) κιχήσατο,

ubi ipse Sylburgius ἤμπλακον maluit. Ap. Archytam Stobaei a Gaisfordio instauratum est ἀμβλακίσκοντι, cfr. Buttm. Gr. ampl. II, 2. p. 76. Quid, quod Daniel. VI, 4. a Theodotione ἀμβλάκημα scriptum fuisse Hieronymus auctor est? Frustra

49) Pro Ἄτη reponendum esse ἄλη metrum indicio est.

Blomf. Aesch. Ag. 336. ἀπλακεῖν vel ἀμβλακεῖν Ionum proprium autumat, ἀμπλακεῖν Doribus adjudicat, in qua regula constituenda elusit acumen Britanni inemendatus locus Ibycius. Relicuos scriptores infucasse poetae scripturam nihil mirum. — Clarkiani illud τιμᾶν quid, si verum fuerit? quid, si Plato reticuit, ut solet in versiculis per ora hominum celebratis, quae sequebantur poetae verba? unde facilis exstitit aliorum lapsus. Nam fieri potest, ut illud τιμᾶν sit neutrum Dorico elatum tenore adjectivi τιμῆς, τιμῆσσα, τιμῆν, cujusmodi plura suppeditat Choerob. in Theodos. Bekk. p. 1188., obductum autem sit alterius versiculi vel γέρας vel simile nescio quid. Interim non dereliquimus vulgatum; monuisse sat est. — Postremo Suidae ἀμείψαι erit forsitan qui in ἀμεῖψαι transscriptum cum exempl. Mediol. verum habeat; et usurpavit laudans locum Stephan. Thes. Lond. p. 4402. At id et ab uno loco Suidae tenellam fidem habet et lenius est, quam sententiae pondus flagitat. Itaque totum fragm. hanc formam praebebit:

Μή τι πὰρ θεοῖς ἀμβλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.

´ ᴗ — — ´ ᴗ — — ´ ᴗ — — ´ ᴗ — —

Ne quid in diis delinquens honorem ab hominibus vicissim recipiam.

Inepte enim Aemil. Portus in nott. ad nov. lyr. p. 187. »Verebar, ne quid in deos delictum admisissem, pro quo vicissim poenas hominibus

merito luerem.« Ne quid desideres, Hermiae interpretationem apponam, quae his concepta verbis est: *τὸ δὲ ἐδυςωπούμην κατ' Ἴβυκον τοιοῦτόν ἐστι· οὐ βούλομαι προςκροῦσαι τοῖς θεοῖς καὶ ἁμαρτεῖν παρ' αὐτοῖς διὰ τὴν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις τιμὴν καὶ εὐδοκίμησιν.* Denique Synesii *ἐφεύρω* interpretamenti patet loco habendum.

Fragm. LII.

Herodian. *περὶ μονήρ. λέξ.* p. 35, 31. Dind.

Postquam docuit *τάφον*, *sepulcrum* generis esse masc., sin ponatur *ἐπὶ τῆς ἐκπλήξεως* neutrius, cll. Hom. Od. XXIII, 93. *ἡ δ' ἄνεω δὴν ἧστο, τάφος δέ οἱ ἦτορ ἵκανεν*, pergit: *ἀλλ' ἴσως τοῦτο ἀμφίβολον· ὁ μέντοι Ἴβυκος διέστειλε τὸ γένος ἐν τῷ πρώτῳ, σχεδὸν τὸν Ὁμηρικὸν μεταβαλών· φησὶ γάρ· δαρὸν δάραοι χρόνον ἧστο τάφει πεπηγώς. οὕτω γὰρ ἔκλινεν ὡς βέλει.*

Ita haec perscripta sunt in libro Hafniensi: Dindorfii *δ' ἄρα οἱ* incogitantius amplexus Boisson. est. At tum erroris culpam in Herodianum transtulerimus, quem certum est repperisse aliud quid; alias enim *τάφει* non poterat de sepulcro dictum arbitrari. Nos autem Grammatici scripturam contenti restituisse scribimus:

Δαρὸν δαρὸν χρόνον ἧστο τάφει πεπηγώς.

Longum longum tempus consedit sepulcro fixus.

Qualem ejusdem repetitionem vocabuli intelli-

gitur diversas conciliare orationi virtutes, uti in concitato orationis flumine non mediocrem affert exaggerandi gravitatem. Aptissima videtur in loco Ibycio ad adumbrandum maesti hominis animum, quo et metri ratio pertinet. Librarii in omittendum proni, ut Alcman. ap. Apoll. de pronomm. p. 15. βαρὺς βαρὺς σύνοικος codd. B. C. alterum ignorant. Soph. Aj. 333. recte G. Dindorf. ἴδοιμ' ἴδοιμι restituit ab librariis varie commaculatum. Tum cod. τάφεις, corr. Blochius. Ceterum non desunt alia quae ad τάφος hoc significatu vindicandum faciant, ut Simonides pro τὸ θάμβος sibi indulsit ὁ θάμβος ap. Scholl. Ven. Hom. Il. IV, 79., Alcman. τὸ σάλος pro ὁ σάλος ap. Welcker. frgm. LXVI., ὁ σκότος et τὸ σκότος, Porson. Eur. Hec. 825. Extremo πεπηγὼς, quod Dindorf. figurate dictum censuit, ut puto, veluti Liv. III, 47. *stupor omnes defixit*, et vulgari sensu perinde poni notum est.

Fragm. LIII.

Scholl. Vratisl. A. in Pind. Ol. IX, 128.

Χάρμαι· νῦν ἀντὶ τοῦ χαρά. Ὅμηρος δὲ ἐπὶ τῆς μάχης. οἱ δὲ περὶ Ἴβυκον καὶ Στησίχορον (frgm. LXXXIX.) *χάρμην τὴν ἐπιδορατίδα φασίν.* Non aperta origo rarioris significatus.'

Fragm. LIV.

Etym. M. p. 273, 24. Sylb.

Διέφρασαι παρὰ Ἴβυκι. ἔστιν ἔφθαρσαι καὶ κατὰ πάθος ἔφαρσαι καὶ καθ' ὑπέρθεσιν ἔφρασαι καὶ διέφρασαι. Audacula certe haec literae $\overline{\vartheta}$ contemptio et liquidae *μετάθεσις*, conjunctum in uno vocabulo utrumque: at hanc quidem est quo excuses plenissime, velut missis tralatitiis quibusdam vocibus *πεφαργμένος* et *ἐφάρξαντο* memorat Etym. M. p. 667, 22. Cfr. Meinek. Euphor. p. 149. Formam *Ἴβυκι* defendi Prolegg. p. 2.

Fragm. LV.

Scholl. Ap. Rh. IV, 1348.

Στέρφεσιν αἰγείοις. τοῖς δέρμασιν. ἔνθεν καὶ στερφῶσαι. Ἴβυκος δὲ στερφωτῆρα στρατὸν εἴρηκε τὸν ἔχοντα δέρματα. ὅθεν καὶ παρὰ Αἰσχύλῳ ἀξιοῦσι γράφειν μελανοστέρφων γένος, οὐχ ὥς τινες μελανοστέρνων.

Pellibus amictus exercitus. Eadem fere Phavorin. s. v. *στερφοπέπλου*. Quod apud hos poetas est *στέρφος*, *στρέφος* ap. alios est, v. Valcken. in Callim. Eleg. p. 288., Hesych. s. v., Aeschylia de Aethiopibus in Prometheo soluto a Titanibus pronunciata censuit Hermann. de Aesch. Prom. sol. p. 17. 18. seu Opusc. IV, p. 269.

Fragm. LVI.

Herodian. *περὶ μονήρ λέξ.* p. 38, 13. Dind.

Λεβυαφιγενής. ἡ διὰ τοῦ φι ἐπέκτασις οὐδέποτε θέλει κατ' ἀρχὴν συντίθεσθαι, μόνῳ δὲ παρηκολούθησεν ἐν ἐπιῤῥήματι τῷ φι τοσοῦτον, ἰφιγένεια, ἰφικλῆς, ἰφιάνασσα καὶ ὅσα ἄλλα ἔστι τοιαῦτα. πεπλάνηται οὖν Ἴβυκος εἰπὼν Λεβυαφιγενής.

Libya oriundus s. *oriunda.* Nam praeclare Bloch. *Λιβυαφιγενὴς* extudit; cod. Hafn. *Ἴβευκος.* Non insimulasset rerum novarum Herodianus poetam, qui antiquatis potius studuerit, nisi *ἶφι* pro adverbio habitum tunc esset. Illud *Λιβύαφι* ex vetusto sermone remansit, cui locativus is casus erat: quem servatum esse non mirum est in eo vocabulo, quo deum deamve, Minervam censeo, nuncuparent. Nam in talibus mirifice custodiuntur sancta prisci aevi monumenta. Talis locativus superest in *Θηβαιγενὴς,* Goettling. in Arist. Pol. p. 363., *Πυλοιγενὴς, ἰθαιγενὴς* simm. ap. Lobeck. Phryn. p. 648. Non dissidet illi *ἶφι,* nisi quod is dativus est, uti in illis et in aliis minime paucis. Quod Minervam *Τριτογένειαν,* de qua v. Mueller. Orchom. p. 213., eo nomine ab Ibyco appellatam judicavi, formatio nominis in caussa fuit, quum talia nomina ab appellationibus terrarum cum *γενης* formata fere deorum sint propria, velut *Ἀφροδίτη Κυπρογενὴς, Κυπρογένεια, Ἀπόλλων Λυκηγενὴς* et quae sunt alia.

Fragm. LVII.

Lesbonact. *περὶ σχημάτων* p. 179. Valcken.

Ἰβύκειον. ὡς τὸ Λαμπρὸν παμφαίνῃσι καὶ ὁ λύχνος φαίνῃσι.

Erit qui pro Ibyciis habeat ultima, nisi Lesbonax ut assolet de suo exempli loco effinxerit. Non dubitavit Salmas. de ling. Hellenist. p. 148. Superius est Hom. Il. V, 6.

VII. *Epigramma. Dubium.*

Fragm. LVIII.

Anthol. Planud. I, 17. Jacobs. Anth. Pal. II. p. 630.

Ὦ Πὰν, φερβομέναις ἱερὰν φάτιν ἄπυε ποίμναις,
κυρτὸν ὑπὲρ χρυσέων χεῖλος ἱεὶς δονάκων,
ὄφρ᾽ αἱ μὲν λευκοῖο βεβριθότα δῶρα γάλακτος
οὔθασιν ἐς Κλυμένου πυκνὰ φέρωσι δόμον,
σοὶ δὲ καλῶς βωμοῖσι παριστάμενος πόσις αἰγῶν
φοίνιον ἐκ λασίου στήθεος αἷμ᾽ ἐρύγῃ.

Epigramma in cod. Palat. omissum qua auctoritate ab Natali Comite Mythol. V, 6. p. 448. ed. Genev. Ibyco ascriptum sit et Ruhnkenius Ep. crit. I. p. 148. ed. tert. nescivit nec ego indagare potui. Natalis fidem secutus tanquam Ibycium usurpavit Niclas. ad Theocr. I, 4. ap. Seebod. Misc. critt. II, 3. p. 409.

Addenda et Corrigenda.

Ad p. 4. *'Ἰβυκὸς* et alii scribunt, ut Aristoph. Kusteri.

— p. 5, lin. 2. Scribere debebam *Callierga,* ut docet Ritschel. Prolegg. in Thom. Mag. p. XVIII, not.

— p. 5, l. 7. post *γεράνους* excidit *ἔφη*.

— p. 7, 7. Scr. *Hyrrhadii.* Sed forsitan cum Menagio satius est legere *ἤ*, vel quod ipse propono, *τοῦ*: *Καΐκοῦ τοῦ Ὑρραδίου.* Ut id minus aptum positum exemplum sit.

— p. 15, 9. *Voemel.* in *Exercitat. chronol. de aetate Solon. et Croesi.* Francof. 1832, 4. p. 11. Croesum putat jam Ol. LIII, 2. successisse Alyatti. Qui quod rationem suam confirmari censet articulo Suidae v. *Ἴβυκος*, non satis diligenter locum examinavit. Neque dicit Suid., quod refert Voemel., Ol. LIV, 1. Samum adisse Ibycum.

— p. 21. Grysar. de com. Dorr. I. p. 183. incertum dicit esse, Ibycus Rheginus Zanclaeusne fuerit, provocans ad Groddeckium. Alterum certissimum.

— p. 24. Ne quis omissum queratur accedat Auson. Technop. p. 484. Toll.

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

— p. 47, 3. leg. *judicabunt.*

— p. 57. leg. *traditum* pro *tradita.*

— p. 74. Tacite correxi ap. Atilium *Archebuleus* pro *Archebulus*, qui error ap. Putschium saepius conspicuus est. Cfr. Mar. Victor. p. 2582. P. »Hic

versus ab Archebulo Archebulius dictus est non ipso auctore editus, sed ab eo frequenter usurpatus. Nam et *Ibycus* et Pindarus et Sim. sqq.

Ad p. 79. Hermanni emendationibus confisus est Bernhardy Encyclop. philol. p. 182.

— p. 88. Haud scio an ad explicandum locum difficiliorem faciat, quod poeta addidit *ὑπὸ στεροπᾶς φλ. Θρηΐκ. Βορ.* Nam qui sine fulguribus ingruit turbo, citius desaevit, cfr. Soph. Aj. 250. Omnia in amoris continuitatem conspirare vides.

— p. 89. Non debebam negligere quae sequuntur in Lexico *περὶ πνευμ.* Quae haec sunt: *καὶ σὺ γοῦν δάσυνε μᾶλλον αὐτό. οἱ δὲ ψιλοῦντες κατὰ ἐτυμολογίαν ψιλοῦσιν, ὡς ἐκ τῆς ἔρας φυόμενον.* — De verbo *θαλέω* v. Ilgen. in Hom. hymn. Pan. 21., Passov. ad Parthen. p. 62.

— p. 121. Nunc demum Herodianei libelli exemplum Dindorfianum in manus meas venit inopinanti, editum Lips. 1825. 8. cum Joannis Gramm. opusculo de accentibus. Usurpavit Dindorfius codicem Hafniensem regium 1965. Is *ἶβυκὸς* scribit. In frgm. VIII. pro *τᾶμος* exhibet *ταμὸς*, pro *ἀηδόνας* vero *ἀειδονάς*. Retinuit Dindorf. *ἄϋπνος*.

— p. 134. Fragm. XV. ap. Dindorf. p. 80, 33 sqq. scriptum est: *γλαυκώπιδα κασάνδραν, ἐρασιπλόκομον κόραν πριάμοιο, φᾶμις ἔχησι βροτῶν.* Cod. Hafniensis corruptissime quidem, at pulcherrime: *λευκὰ πίδακας ἀνδρανέρασι πλόκαμον κόρην. πριάμου.* Priora indicium videntur esse scripturae *λευκώπιδα*, longe illius posthabendae lectioni receptae. Solus autem certissimam emendationem Villoisoni *κασσάνδραν* servavit illibatam. *Φᾶμις* ap. Dindorf. error est typothetae, cod. Hafn. *φαμῆς*.

— p. 159. not. 44. Cod. Hafniensis *ὠκέων δαμάντορες* re-

cepit Dindorfius. Quae forma nihili est, ne quid de dimensione versus loquar. Recte cod. Hafn. κυδρός, minus idem exquisite ἱππόται σοφοί.

Ad p. 184. Excidit incuria nostra index sedis frgm. XXXI., quae est Scholl. Theocrit. I, 117. —

Novum frgm. reperietur in Procli commentariis Platonicorum de Rep. librorum ab A. Maio edendis, cfr. cll. scrr. vett. III, p. 216. Exspectemus.

Ceterum nec operam nec chartas perdere volebam exagitandis iis σφάλμασι typothetae, quae vel Davus quomodo corrigenda sint continuo intelligat. Quo ex genere sunt pravae accentuum posituræ, velut ἀρχηγέτων et si qua sunt consimilia.

I. Index scriptorum, quibus vel res Ibyciae vel reliquiae carminum debentur.

15

II. Index vocabulorum, quae in reliquiis Ibyciorum carminum leguntur.

† iis praefixum est vocibus, quae emendationi debentur.

III. Index vett. scriptorum, qui ab editore emendantur, potiorum.

*) Totus ille locus Prisciani quomodo scriptus esset in libro Halberstadiensi, rogatu meo his mihi diebus indicavit *Theodorus Schmidius*, candidissimus amicus. Unde potiora excerpam. Scribit igitur et ipse, et plerique codd. ita videntur habere, Υλιχεους, h. e. Υλιξευς; tum ita: *qui*
y
pro phileis phyles pro orpheys orphes et orphen. Sicut Anthimachus in I Thebaidis: Τυπες ευσιτες. Alterius autem fragm. emendationem nostram integram suggerit unus, qui scribat: τον και τον φωνησας προςεφης οινηιε τυδε. — *Similiter ybicus* ονομα και τον ορφην. Librarii vero cur pro ὀνομακλυτὸς ὄρφη substituerent accusandi casum, haec exstitisse caussa primaria videtur, quantum ex libri Helmst. et Halberst. corruptelis augurari licet. Nam quum *ONOMAKAY* semel in *ONOMAKAI* deformatum esset, ineptum τος ita conati sunt expellere, ut in accusativum transscriberent: sed Ὄρφη mutare non sunt ausi nonnulli: hinc jam fraudem suis vestigiis persecuti sinceritatem scripturae eruimus, comprobatam in Epistola *Muellero*.

Schneidewin, Friedrich Wilhelm
Ibyci Rhegini carminum reliquiae

